5
363

COMMENTARIA DOCTISSIMA IN SEPTIMUM PANDECTARUM LIBRUM EIUSQUE INSIGNEM MATERIAM De Usufructu,

Ab


ELBERTO LEONINO IC. IVRIS QVONDAM PROFESSORE IN ILlustri Lovaniensium Academia primario, necnon Ducatus Geldriæ et Comitatus Zutphaniæ Cancellario amplissimo, Anno 62. publicè prælecta, nunc verò in communem Studiosorum juris usum edita.

CUM PRÆFATIONE HERMANNI VULTEJI, JC. PRÆSTANTISSIMI, & Academiæ Marpurgensis Professoris primarii, quâ eorundem commendatio continetur.




LICHÆ Solmejorum, Typis Conradi Nebenii & VVolgangi Kezelii. Anno CIↃ. IↃ C.





HERMANNUS VULTEJUS JC. ACADEMIÆ MARPURGENSIS Professor Primarius Lectori Salutem.



Misit ad me, Lector candide, vir optimus idemq; apud Licham Solmejorũ Typographus industrius Conradus Nebenius quasdam commentationes ELBERTI LEONINI olim Geldriæ Cancellarii, Jurisconsulti eximii, manscriptas, ut eas legerem: id quod feci pro more meo sedulò. Nihil enim mihi accidit potiùs, quàm quæ scripta sunt à viris magnis, quos ut alii, ita ego etiã suspicio, legere & ex

illis proficere. Cum vero etiã Nebenius de illis judicium meum expeteret, indignabar iudicium ad ad me deferri de illius viri scriptis & commentationibus, qui iam à tot annis non Germaniæ tantùm, sed Galliæ etiam, Italiæ et Hispaniæ esse notissimus, summoq; in pretio semper habitu. Quid enim ego mihi arrogarem iudicare de scriptis viri illius, quæ omnium politissimorum judicio essent politissima, omnium eruditorum sententiâ eruditissima? A quibus si iudicarem ego aliud, judicium meum profectò esset nullum. Dixi tamen quod res erat, omnia ELBERTI LEONINI esse optima: et valdè me in eius viri scriptis, præsertim vero tantoperè approbatis Consi-

liis

liis iam ante multos annos in lu-
cem emiſſis recudendis deſiderare
Typographorum noſtrorum cu-
rioſitatem,quę in nonnullis inter-
dum eſt,etiam cum ipſorum iactu-
ïâ,celerior. Haec dicens viſus ſum
mihi dixiſſe omnia, quę mentem
meam explicarent. Aliud ſi omni-
no mihi ſit iudicandum, iudicium
ferre non poſſum. Nihil eſt
ELBERTO LEONINO elegan-
tius,nihil puriůs,nihil terſius,ut in-
ter DEOS illos maiorum gentium
Juriſconſultos merito ſuo iam o-
lim locum obtinuerit, memoriam
habiturus ſempiternam. Cum igi-
tur Nebenio eſſet animus de com-
mentationib⁹ illis nõnullas typis ſu-
is in lucem edere, tantum abeſt, ut
ferim,ut etiam author fuerim.

Etſi

Etſi enim á LEONINO eo fortaſſé animo non eſſent factae, ut lucem adſpicerent, ſed ut Scholę ſuę, quam tum magnâ cum laude Lovanii habuit, ſatisfaceret, dignae tamen ſunt, quae in doctorũ manibus verſentur, et invenient in illis etiam qui ſunt Juriſconſulti, ex quibus ſeſe profeciſſe fatebuntur. De his praecurſorem hunc DE USUFRUCTU iam emittit Nebenius, mox daturus cœtera, ſi operam ſuam tibi, candide Lector, acceptam eſſe animadverterit. Tu vero lege & iudica: ſenties idem quod ego quid, inquam, ego? imo vero omnes: ut commendare pluribus opus non ſit, quod ſe ipſum commendat ſatis. Vale atq; hoc la-

bore interim, dum succedant alii, fruere. Marpurgi è museo meo ad XII Julii, Anno Christi, M. DC.

SUMMÆ CAPITUM IN HOC Tractatu contentorum.

XI.

Error præli.

Pag.100.lin.22.lege extendendum.p.119.l.1.magis. l.24. Pandectũ.p.126.l.13.pensio.lin pen.lucrari.p.127. l.8.legata.



ELBERTI LEONINI IC.

Commentariorum

In Septimum pandectarum librum ejusq; insignem materiam

De Usufructu,

Cap. I.

SUMMARIA.

1. *Actione reali petuntur tàm incorporalia quàm corporalia.*
2. *Incorporalia insunt corporalibus, tanquam accidentia subiectis.*
3. *Fundi naturâ suâ sunt liberi.*
4. *Servitus est habitus & qualitas fundi, nihil pertinens ad eius substantiam.*
5. *Servitutes aliæ sunt reales, aliæ personales.*
6. *Verbum frui latè patet.*
7. *Earum rerum, quarum nulla est utilitas sed delectatio tantùm, Vsusfructus constitui potest.*
8. *Fructus unde dicti: & quid appellatione eorum veniat.*
9. *Lapidicinæ, cretifodinæ, &c. in fructu sunt.*
10. *Item: Aucupia, venationes, & piscationes.*
11. *Sylva quoq; & arbores caduæ: non autem frugiferæ.*
12. *Quæ ex pecudibus nascuntur, ut & lac, lana, pilus.*
13. *Fallit: in partu ancillæ.*
14. *Item: Vrbanorum prædiorum pensiones & emolumenta sunt in fructu.*

B 15. Vnde

15. Vnde fructuarius ex causa damni infecti in possessionem mitti potest.
16. Opera servorum, vectura navium &c. & usura fructib. annumerantur.
17. Iura dominicalia in feudis usufructuarius habet.
18. Item bona publicata & mulctas.
19. Hinc maritus, cui territorium in dotem datum est, bona in eo publicata lucratur.
20. Alluvionis commodum, quandiu durat Vsusfructus, cedit fructuario.
21. Instrumentis vel rationibus legatis, quicquid post aditam hereditatem percepit heres, legatario restituere tenetur.
22. Ius præsentandi, conferendi, eligendiq; in fructu est.
23. Fructus vocabulum aut ius, aut factum significat.
24. Si ius, quid comprehendat.
25. Quid vero, si factum.
26. Bartoli distinctio fructuum in naturales, industriales, & civiles, contra Iohannem Copum defenditur.



1 Vm ea † quæ reali actione petuntur, duplicis sint generis, corporalia scilicet & incorporalia; ac superioribus titulis exposita sit vis & potestas actionis, quæ pro rebus corporalibus competit: convenienter hîc de ijs actionibus subjicitur.
2 quæ proditæ sunt pro rebus † incorporalibus, quæ corporalibus insunt, tanquam accidentia subjectis. Ut enim homines, ita etiam

etiam fundi † sua natura omnes sunt liberi, 3
nisi extrinsecus pacto, legato, aut aliâ ratione
servituti astringantur. Unde † Iurisconsul- 4
tus in *l. Qui fundum 12. ff. Quemadmod. servit. amitt.* servitutem, habitum & qualitatem fundi appellat, quæ ad eius substantiam nihil pertinet *l. Quid aliud sunt iura prædiorum. 115. ff. de verb. Signif.* Porrò servitutum quædam † sunt 5
personales, quæ personis: quædam reales, quæ prædiis aut rebus debentur. Personales sunt, usufructus, usus, habitatio, & ministerium seu operæ servorum, de quibus in hoc septimo libro pandectarum multis distinctis titulis agitur.

Priusquam autem propiùs ad rerum ipsarum tractationem accedamus, paucis verborum significatio est excutienda. Et quidem † frui ad omnem vtilitatem, commodi- 6
tatem & delectationem refertur, & plus est quàm vti. Frui enim est omnem fructum, commoditatem, ac delectationem rei percipere: & qui fruitur, non modò ad usum quotidianum, sed & ad abusum, compendium, quæstū & delectationem uti potest. Unde & statuæ & imaginis, † item prædiorum, quorū 7
nulla est utilitas, sed tantùm delectatio quædam, fructus ac usufructus constituitur. *l. statuæ 41. ff. de Vsufr.* Etenim fructus nomen †
vel à fruēdo, vel à ferēdo, ut Varro ait *Lib. 4. de* 8
ling.

ling. lat. omnes res, quas fert fundus, aut quæ
in fundo feruntur, comprehendit: quod tam
ad naturales, quàm industriales fructus per-
tinet. Fructus est enim, quicquid in fundo
nascitur, & quicquid inde percipi potest, *l.*
9 *Item si fundi 9. ff. de Usufr.* adeò ut † & lapicidi-
næ, auri, argentifodinæ, & cujuslibet alterius
materiæ, in fructu habeantur. *l. Divortio* (*aliàs
et l. fructus 7.*) §. *si vir 13. ff. solut. matrim.* Accu-
10 pia † quoq; venationes, & piscationes in
fructu sunt, si fructus fundi ex his potissi-
mùm constet. *l. Venationem 26. ff. de usur.* Sylva
11 quoq; † & arbores cæduæ fructui annume-
rantur *d. l. Divortio* (*in quibusdam est l. Fructus 7.*
§. *si fundum 12.*) *ff. solut. matrim.* non etiam
grandes aut frugiferæ arbores, quibus excisis,
non manet salva rei substantia, fundusq; effi-
citur deterior. *l. si cujus 13.* §. *fructuarius 4. & l.
sed si grandes 11. ff. de Usufr.* Quod idem est in la-
pidibus, si talis sit fundus, in quo lapides non
renascuntur. *d. l. Divortio* §. *si vir 13.* Præterea
non tantùm ea, quæ in fundo feruntur vel
spontè proveniunt, sed generaliter omnia lu-
cra omnia emolumenta, omnes deniq; com-
moditates, quæ ex re quâlibet percipiuntur,
appellatione Fructus continentur; nam om-
12 nia, † quibus fruimur, comprehendit, sive ea
in fundo proveniant, sive ex pecudibus no-
stris nascantur; puta fœtus, qui sunt in fru-
ctu,

ctu, sicut lac, lana, pilus *l. in pecudum 28. ff. de Vsur. §. In pecudum 37. Instit. de Rer. divis.* excepto † partu ancillæ, qui à fructibus separatur, 13
& ad proprietarium pertinet. *l. Vetus quæstio. 68. ff. de Vsufr.* idq; propter hominis dignitatem, cuius gratia omnes rerum & fructuum copiæ comparatæ sunt.

Nec solùm † animalium fœtus, & rusti- 14
corum prædiorum reditus, sed & prædiorum urbanorum pensiones, fructibus annumerantur. *l. Prædiorum 36. ff. de vsur.* Et quicunq; fundi reditus est, ad usufructuarium pertinet, quæq; obventiones sunt ex ædificiis, ex areis, & cæteris quæcunq; ædium sunt, cedunt usufructuario: adeò † ut etiam 15
mitti posit in possessionem vicinarú ædium, ex causâ damni infecti. *l. usufructu legato 7. §. 1. ff. de usufr.* Mercedes † quoq; à colonis acce- 16
ptas, item operas servorum, & vecturas navium, ac jumentorum fructibus annumeramus *l. Mercedes 29. ff. de petit. hered* Usuras quoq; fructuum vicem obtinere & à fructibus separari non debere, constitutum est. *l. usuræ 34. ff. de vsur.* Et generaliter in fructu esse placuit, quicquid ad usum hominis inductum est, *l. In fructu 42. ff. de usu & usufr. leg.* ita ut omnium rerum aliquis fructus esse posit. *l Videamus 19. ff. de vsur. d. l. statuæ 41. ff. de vsufr.* Quâ ratione † Interpretes jura dominicalia in feudis 17

 & sub

& ſub feudis fructuario tribuunt; etiam contra proprietarium acquirentem, pendente uſuſructu *Carol. Molin. in tract. de Feud.* §. *14. gl. 1. q. 4.* Et munerum, honorum, ac dignitatum fructus tradiderunt eſſe: Unde actuarii & tabellionis ſalarium in fructu eſſe Bartolus exiſtimat *in l quædam 9.* §. *nihil 1. ff. de*
18 *Edend.* Idem bona † quæ publicantur, & mulctas, quæ condemnatis infliguntur, ei, qui uſumfructum habet, aut ad quem fructus pertinent, attribuit. *in l. fin. ff. ſolut. matrim.*
19 Qua ratione † ſi mulier territorium vel dominium marito in dotem dederit, omnia bona ſubditorum, etiam immobilia, conſtante matrimonio publicata, dotem non augent, nec mulieri ſoluto matrimonió reſtituuntur, ſed cum reliquis dotis fructibus mariti lucro cedunt, *Bart. in d. l. fin. Bald. in l. Divortio.* §. *ſi vir 13. ff. ſolut. matrim. Corneus conſ. 243. Vol. 3.* Allu-
20 vionis † quoq; commodum cedit uſufructuario, ſed tantiſper ſolùm, quandiu durat uſusfructus *l. Item ſi fundi 9.* §. *Huic vicinus 4. ff. de Uſufructu.* quod idem eſt in ſeminariis & plantariis: nam & ijs tanquam inſtrumento fundi utitur fructuarius, & ſerendi agri causâ, ſeminarium ſemper renovare tenetur, ut finito uſufructu domino reſtituat, quemadmodum copiosè ex Plinio & Budæo declarat Franciſcus Conanus *lib. 4. Comment. c. 1.* Sed & ſi quis
inſtrumenta

instrumēta † sua vel rationes legaverit, quic- 21
quid ex his emolumenti heres post aditā he-
reditatem perceperit, id omne legatario re-
stituere tenetur, *Bart. in d. l. Quidam. 9. §. nihil*
1. Præsentationem † quoq; in fructu juris Pa- 22
tronatus esse Innocentius & Panormitanus
tradunt, *in c. Consultationibus 19. De Iure patron.*
sicut & conferendi eligendiq; potestas fru-
ctibus sacerdotiorum annumeratur, de quâ
re copiosiùs alio loco dicemus.

Porrò meminisse oportet fructum † inter- 23
dum jus, interdum factum significare. Ad jus
† cum refertur, generaliter jus vtendi fruen- 24
diq; significat, & omnia complectitur, nihilq;
interest eo casu, fructus, an usus fructus re-
linquatur: nam & fructui vsus inest, & fru-
ctuarius & usufructuarius idem habent, *l.*
per servum 14. §. 1. ff. de vsu & habit. Cum † autem 25
ad corpus refertur fructus nomē, eos fructus
propriè significat, q ex re ipsâ naturaliter pro-
veniūt, vel sponte, vel opera hominum *l. Vac-*
cæ emptor 43. ff. de Evict. Et proinde ab vsuris,
pensionibus, mercedibus, vecturis jumento-
rum, cæterisq; obventionibus separatur *d. l.*
Mercedes 29. ff. de petit. hæred. l. si navis. 62. in pr. ff.
de Rei vindic. hæc enim non omnino fructus,
sed vicem fructuum obtinere dicuntur, cum
non naturâ proveniat, neq; ex ipso corpore
rei, sed jure percipiantur & ex obligatione

d.l.si navis 62. in pr. ob quod civiles fructus vocantur, & tertiam speciem cõstituunt separatã à fructibus naturalib⁹ & industrialibus Un-
26 de intelligitur † male Ioannem Copũ *in tract. de fructib. lib. 1. tit. 2. c. 3.* reprehendere Bartolum, qui triplicem fructuum distinctionem facit *in l. & ex diverso 35. ff. de Rei vindic.* quòd alii sint naturales, alii industriales, alii civiles.

De Significatione Vsusfructus. Cap. II.

SVMMARIA.

1. *Vnde Vsusfructus dicatur, & quomodo ab usu differat.*
2. *Quid sit uti, & quid frui.*
3. *Annibal reprehensus, quòd Cannensi victoria potius frui, quàm uti maluit.*

1 VSusfructus † ab uti frui dicitur & in fruendo consistit, omniaq; quibus fruimur comprehendit, ac latiùs patet quàm usus, nam cui usus relictus est, uti potest, frui verò non potest. *l. 2. ff. de vsu & habit.* minusq; est usum legare quàm fructum, quandoquidem fructui & usus inest, usui fructus deest, *l. per servum 14. §. 1. ff. de vsu & habit.* & usus sine fructu esse potest, fructus sine usu esse non potest, *d. l.*

d. l per ſervum 14. §. Vſusfructus. 1. Qui vſum habet uſuarius apellatur, qui fructum uſufrúctuarius dicitur: uſus neceſſitate perſonæ circumſcribitur ac definitur, fructus non item. Unde eleganter Laurentius Valla, *Elegant. lib. 5. c. 5.* Uti, inquit, eſt † alterius rei gratiâ, frui nullius, ſed (ut ſic dicam) propter ſe: in illo, ſcilicet uti, iter ac progreſſus eſt, in hoc meta: hoc nempe frui, alterius finis eſt, ad quem illud tendit, qui hoc habet, quieſcit & contentus eſt: qui utitur nunquam contentus eſt, ſemperq; ulteriùs tendit. Ideoq; † reprehenſus eſt, Annibal, qui cum uti poſſet Cannenſi victoria, frui maluit. *Livius 3. Decat. lib. 2.* Sic utimur, inquit, ſtudio, libris, diligentia, operáque, ut emolumentis tandem hinc partis fruamur, delectemur, & utilitatem percipiamus. De quâ re copioſiùs agemus, ſpeciali loco & ſermone, quem de vſu & habitatione inſtituemus. 2 3

Diviſio Vſusfructus.
Cap. III.
SVMMARIA.

1. *Vſusfructus in cauſalem & formalem diviſio: eiusq; explicatio.*

2. *Quæ à Neotericis improbatur.*
3. *Contra eos defenditur.*
4. *Bonæ fidei possessor in fructuum perceptione, & in publiciana dominus habetur.*
5. *Acceptilatio Vsusfructus ei facta, qui fundum debet, nullius est momenti.*
6. *Vni proprietate, alteri fundi Vsufructu legato, ille fundum cum dimidia, hic reliquam Vsusfructus partem habebit.*
7. *Qui petiit totum fundum, si postea Vsumfructum petat, repellitur.*

1 VSumfructũ † interpretes duplicem constituunt, *glos. & Dd. in rubr. & in l. 1. ff. de usufr. Fab. §. 1. Inst. eod.* Ut unus sit non separatus aut distinctus à proprietate, quē causalem vocant, accipiuntq; pro facultate seu commoditate utendi fruendi, quæ cum dominio conjuncta est. Alter verò formalis est, qui in jure distincto & separato à proprietate consistit, & est penes alium, quàm rei ipsius dominum, ac propriè ususfructus appellatur, differtq; à causali in quàm plurimis. Sed hæc
2 vocabula, † ut inepta & barbara cum re ipsa, tanquam sine lege & authoritate, ex capite interpretum profecta, improbāt rejiciuntq; Neoterici: Alciat. *in l. rectè dicimus 25. ff. de verb. signif.* Coras. *in Miscell. lib. 5. c. 3.* Conan. *in suis Comment. lib. 4. c. 3.* nusquam enim in legibus, inquiunt, commoditas utendi fruendi, quam dominus habet in re suâ, ususfructus appellatur,

latur, &, ut addit Conanus, si commoditas illa utendi fruendi quam habet dominus, dicatur causalis ususfructus, quòd causam à dominio ducat, non conveniet appellatio illi usufructui, quem habent bonæ fidei possessores & alii, qui utuntur & fruuntur absq; adminiculo dominii.

3 Sed hæ rationes † rectè excussæ, nec veræ sunt, nec ad convellendam interpretum distinctionem sufficiunt. Licet enim vocabula nova sint, & ab interpretibus, doctrinæ gratiâ, adinventa, ipsa tamen res rationem habet. & jure probatur. Etenim † cum omnes 4 fructus jure dominii percipiantur, etiam à bonæ fidei possessoribus *l. qui scit. 25. §. 1. ff. de usur.* non consistit Conani cōsideratio, & rectè interpretes usumfructum causalem vocant, quòd causam ducat à dominio, etiamsi de possessore bonæ fidei agatur: quoniam is in fructuū perceptione & in publiciana dominus censetur. Nec desunt exempla juris, quibus probatur, quòd commoditas, quam habet dominus in re suâ, ususfructus appellatur. Nam extat † responsum in quo conti- 5 netur, quod acceptilatio ususfructus ei facta, qui fundum debet, sit inutilis, eâ ratione, quia ususfructus domino rei competens, est pars integralis fundi, quæ relata ad totum per se non consideratur, *l. Et per jusjurandum*

jusiurandum 13. §. 2. *ff. de accept.* Simili modo, si
6 uni proprietas, † alteri usufructus fundi legetur, is, cui proprietas legata est, habet integram proprietatem, ut inquit jurisconsultus, partim cùm usufructu, partim sine usufructu, *l. si tibi 6. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.* quod non nisi de causali usufructu intelligi potest, qui domino in re suâ competit: nam proprietatis legatarius concurrit in usufructu, non jure servitutis, sed ex proprio capite & causa dominij, cui usufructus, quatenus apud eum remanet, est commixtus. Eâdem
7 ratione † si is qui totum fundum petiit, posteà ad usumfructum agat ex eâdem causa, exceptione repellitur. *l. si cum argentum 21. §. si fundum 3. ff. de except. rei iudic.* quod de causali Usufructu accipiendum videtur. Deniq; apertè à jurisconsulto responsum est, *in l. uti frui. 5. ff. si usufr. petat.* eum, qui habet proprietatem jus utendi fruendi separatum non habere: per quod manifestè ostenditur & admittitur à jurisconsulto, usumfructum & jus utendi fruendi proprietario competere conjunctim cum ipsâ proprietate, & eâ ratione plerumq; in legibus de eo mentionem fieri. *d. l. Et per iusiurandum 13. §. 1. d. l. si tibi 6. & l. Usufructus 4. ff. de Usufr.*

De

Definitio Vsusfructus. Cap. IV

SVMMARIA.

1. Declaratur l. 1 ff. de Vsufr.
2. Servitutes sunt iura
3. Non contingunt rei substantiam.
4. Vsusfructus differt à perceptione fructuum.
5. Cohaeret personae & cum eâ extinguitur.
6. Res sua nemini servire potest.
7. Vsufructuarius differt ab Emphyteutâ, Vasallo, Superficiario & Creditore.
8. Creditor, si pignore utatur, furtum committit.
9. Re abuti non potest fructuarius, aliàs L. Aquiliâ & interdicto quod vi aut clam, nec non furti actione tenetur.
10. Modicam & moderatam refectionem praestare debet.
11. Cogi potest ad praestandam cautionem.

VSumfructum, de quo agimus definit Paulus *in l. 1. ff. de Vsufr.* esse jus alienis rebus utendi fruendi, salvâ rerum substantiâ: quam definitionem Iustinianus quoq; secutus est, *in pr Inst. de Vsufr.* & in quâ dictio. jus, † significat usumfructum formalem, de quo hic agimus, servitutem esse separatam, remotam, & abstractam à proprietate. Nam 1 servitutes

2 servitutes † sive sint reales sive personales, jura appellantur, *l. 2. ff. de servit. urb. præd.* §. *1. Inst. de servit.* quæ corporibus inhærent, tanquam subjectis, absq; substãtiæ mutatione: Servitu-
3 tes † enim non contingunt rei substantiã, sed tantùm accidendalẽ qualitatẽ, habitũ & affectionem quandã inducunt, quæ prædiorũ libertatem extrinsecus diminuit, salvâ manẽte substãtiâ rei, quæ neq; ex jure utendi, neq; ex aliâ servitute unquã absorbetur, sed integra manet proprietario, ut ipsa definitio ostendit.

4 Præterea † usus fructus dum jus appellatur, distinguitur à perceptione fructuũ, quæ plerunq; ex venditione vel locatione ipsius usufructuarii obtinetur, *l. arboribus 12. §. usufructuarius 2. ff. de usufr.* plerunq; aliunde *l. si usus fructus 66. ff. de jur. dot. l. Necessario 8. §. ult. ff. de Peric. & commod. rei. vend. l. in annos singulos 8. ff. de annuis legat.* & consistit in facto non in jure: ita ut is qui à fructuario perceptionẽ fructuũ habet, omne jus suum ex capite fructuarii metiatur,
5 nihilq; proprium habeat. Quod secus est † in vero usufructu, ex quo constituitur jus, id est, servitus personalis, quæ consistit in corpore ac cohæret personæ, ita ut eã comitetur semper, & cum eâ extinguatur *in pr. Inst. de usufr.* Illud quoq; hic observandum est, dum usus fructus definitur esse jus utendi fruendi rebus alienis

alienis: excludi primò dominum rei, † qui 6
usumfructū nō habet separatum à proprietate; quoniam res sua nemini servire potest, *l. uti frui 5. ff. si usufr. pet.* Item: excludi Vasallum, † Emphyteutam, Superficiarium & alios, qui 7
utile rei dominium habent, tametsi hi quoq; aliquâ ratione alienâ re utantur, quia tamen id faciunt non jure servitutis sed utilis dominii, ab hac definitione submoventur. Quibus addēdū est, creditorē quoq; qui pign° accepit, excludi virtute dictorū verborū utendi fruendi, quibus fructuario usus rei ac perceptio fructuum indulgetur: quod secus est † in cre- 8
ditore, qui si pignore utatur, furtum committit *§. furtum 6. Instit. de oblig. quæ ex delict. nasc.* nisi aliud nominatim convenerit.

Deniq; non est prætermittendum, † quòd 9
tametsi potestas usufructuarii latissimè pateat, immodicus tamen usus, item abusus rei interdictus est, debetq; uti frui boni viri arbitratu, & ex L. Aquilia, & interdicto, quod vi aut clam, nec non & furti actione sicut quilibet alius *l. si ususfructus legatus (in quibusdam est,) l. si cujus 13. § ff. de usufr.* Nam sicut usufructuarius uti frui, ita proprietatis dominus securus esse debet de proprietate, cujus causam fructuarius deteriorem facere non debet, *l. si cujus rei 13. §. fructuarius 4. eod.*

siquidem

ſiquidem uſufructuarium oportet uti frui ſalvâ rerum ſubſtantiâ. Tametſi enim fieri non poſsit, quin uſu fiat res ſemper deterior, debet tamen uſufructuarius ſubſtantiam rei ſalvam conſervare, quatenus per rerum naturam eſt poſsibile, *l. 1. ff. de Vſufr. & in pr. Inſt. eod.* Vnde omnem rei curam uſufructuarius
10 præſtare debet † cum modicâ & moderatâ refectione *l. 1 in fin. & l. ſeq. l. Vſufructu 7. §. 2. ff. de Vſufr.* Quin cogi etiam poteſt uſufru-
11 ctuarius † ad cautionem exponendam, de utendo & fruendo arbitrio boni viri, & de conſervanda rei ſubſtantiâ *l. 1. C. eod.* De quibus copioſiùs aliis locis agemus, quando de cautione, quam præſtat uſufructuarius, ac de emolumentis ac oneribus ad eum pertinentibus, ſpecialiter tractabimus.

An Vſusfructus ſit pars dominii, Cap. V.

SVMMARIA.

1. *Antinomia l. 4. ff. de Vſufr. cum l. Rectè dicimus 25. ff. de V. S. & l. Mævius 66. §. fundo 6. l. cum filius 76. §. dominus 2. ff. de leg. 2. l. Qui Vſumfructum 58. ff. de Verb. oblig.*

2. *Accurſii*

375

2. *Accursi, & aliorum conciliationes.*
3. *Quibus improbatis, vera via substernitur.*
4. *Triplex consideratio usufructus.*
5. *Prima est in integritate rei, & iure eius, ad quem pertinet proprietas: Et hoc casu est verè domini pars, num. 13.*
6. *Huius cõsiderationis effectus primus est, ut, reversus ad proprietatem usufructus semper ei commixtus fuisse censeatur.*
7. *Secundus: ut proprietatis dominus, usumfructum apud alium existentem, utiliter legare queat.*
8. *Tertius, ut rem etiam durante adhuc usufructu vendere possit.*
9. *Legato uni usufructu, alteri verò proprietate, hic partim sine, & partim commixto usufructu, habebit.*
10. *In l. Falcidiâ heres cum proprietate usumfructum tanquam partem, diminuit.*
11. *Acceptilatio usufructus facta debitori fundi inutilis est, eiusq; ratio.*
12. *Promissori domus fenestra, & camenta, accepto ferri nequeunt.*
14. *Vsusfructus est servitus.*
15. *Servitutes substantiæ rei nihil detrahunt, sed qualitatem tantùm accidentalem inducunt.*
16. *In secundâ consideratione, quæ fit respectu eius, qui dominus non est sed cui res est vendita, promissa &c. usufructus domini pars verè dici nequit.*
17. *Pro eo, qui fundum debet, fideiussor in usumfructum rectè accipitur.*
18. *Tertia consideratio, quæ fit per se, & quatenus est servitus, facit distinctam à proprietate speciem.*
19. *Vsusfructus nullam communionem cum proprietate habet.*
20. *Pertinet ad iura personarum.*

21. *Vsufructuarius, ratione dominii iuris, aliquando dominus appellatur.*

22. *Appellatio domini unde fluxerit.*

23. *Augustus maluit Imperator, quàm dominus appellari.*

24. *Domini dicuntur, non solum quibus rei proprietas competit, sed omnes, qui aliquam moderandi potestatem, habent.*

25. *Vsufructuarius castrorum domini titulum rectè usurpat.*

26. *Asserens se dominum, probato usufructu, vincet.*

POst explicatam significationem & definitionem usufructus convenienter quæritur, (ut propiùs cognoscatur usufructus) an usufructus partem dominii constituat, & quomodo hoc accipiendum sit? In quo articulo plurimæ ac diversæ sunt sententiæ interpretum, & responsa quædam jurisconsultorum prima facie pugnantia.
1 Nam † in uno *l.* 4. *ff. de usufr.* expressum est, usumfructum in multis casibus esse partem dominii: In alio *l. Rectè dicimus* 25. *ff. de verb. signif.* negatur, usumfructum partem dominii facere, aut in parte consistere, quia est servitus. Sunt & alia responsa, quibus probatur, usumfructum neq; verè partem esse,

neq;

neq; à parte alienum eſſe & ſeparatum, ſed inſtar partis aut actionis ſe habere *l. Qui uſumfructum 58. de verb. oblig. l. Mævius 66. §. fundo 6. l. Cum filius 76. §. dominius 2. ff. de Leg. 2.* In quorum conciliatione & explicatione alii aliud adferunt. Accurſius primò, † partem pro ſpecie interpretatur *in de l. 4.* quaſi dominium ſit genus, quod aptitudine prædicationis etiam uſumfructũ apud alium exiſtentem complectitur; quæ interpretatio non poteſt ſubſiſtere, ob id quod proprietas, quam alteram dominii ſpeciem Accurſius conſtituit, tàm latè pateat, quàm ipſa dominii ſignificatio, & quòd uſusfructus cum dominio prædicari nequeat, neq; nomen dominii retineat, ſicut ſpecies retinet nomen ſui generis. Unde Accurſius derelicta hac ſententia aliam adfert, quod videlicet in uno reſponſo *d. l. Rectè dicimus 25.* agatur de formali, in alio de cauſali uſufructu *d. l. 4.* à qua ſententia iterum reſiliens, eam pro veriore prodidit: quod uſusfructus verè non ſit pars dominii, ſed ſimilitudinem tantùm & inſtar partis ſe habeat; quod communiter, interpretes ſequuntur, & quibusdam reſponſis

probari videtur *in d. l. Qui usumfructum 58. in l. si à reo 70. §. si reo 2. ff. de Fidejuss. & d. l. Mævius 66. §. fundo legato 6. & in d. l. cum filius 76. §. dominus* 2. Sed tamen difficultatem non tollit † nec
3 responso Pauli Jurisconsulti *d. l. 4.* congruere videtur, in quo positivè dicitur: quòd usus-fructus in multis casibus sit pars dominii, quod ad substantiam & veritatem, & non ad similitudinem, fictionem, & interpretationem refertur. Prætereà cum in alio responso dicitur *in d. l. Rectè dicimus 25.* Eum fundum totum nostrum esse, in quo alienus est usus-fructus, jurisconsultus non similitudinem, sed repugnantiam & diversitatem considerat, additâ ratione, quòd usus-fructus non in parte, sed in servitute consistat, cujus servitutis per se spectatæ natura & conditio nullam similitudinem vel communionem habet cum dominio *l. sed si fortè 6. ff. de rebus eorum, qui sub tut. &c.* sed consistit in jure separato, distincto, & remoto à proprietate, quæ separationis consideratio removet omnem similitudinem.

Unde tentari potest: annè rectiùs dici
4 posit, † pro conciliatione omnium prædictorum jurium, usumfructum esse in triplici consideratione. Plerumq; enim usus-fructus
5 fit † mentio consideratâ integritate rei, & quatenus agitur de jure ejus, ad quem pertinet

net proprietas: quo casu tametsi jure servitutis alienus sit ususfructus, vel alteri debeatur, nihilominus ex potestate juris, & propter naturam consolidationis, & vim attrectivam directi dominii (quod, ut inquit Baldus, semper est in actu permanendi) is, qui est dominus proprietatis, etiam usumfructum habere censetur, saltem in habitu & potentiâ juris, quæ plerumq; etiam usufructu apud alium existente maximos habet effectus.
Nam primò † efficit, ut reversus ususfructus 6
formalis ad proprietatem intelligatur semper fuisse proprietati cõmixtus, neq; ex novâ, sed veteri & præexistente causâ reversus.
Bald. cons. 9. lib. 1. Secundò efficit, † ut nudæ 7
proprietatis dominus, manente usufructu formali apud alium, usumfructum utiliter legare possit, *l. si dominus nudæ proprietatis 72. ff. de usufr.* Tertiò † ut proprietatis dominus 8
proprietatem, durante usufructu, possit vendere, cum effectu futuræ consolidationis *l. verbis testamenti 2. C. eod.* Eâdem ratione fit, † 9
ut legato usufructu uni, alteri proprietate, legatarius proprietatis integram proprietatem habeat, partim sine usufructu, partim cum usufructu commixto proprietati, sicut veram partem dominii constituit, *l. si tibi decem 6. ff. de usufr. earum rer. quæ usu consum.* Quomodo & in L. Falcidiâ † heres jure proprio 10
usum-

usumfructum diminuit conjunctum cum proprietate, & tanquam partem proprietatis *l. usufructus & ab initio 5. ff. de usufr.* Et accepti-
11 latio usufructus, † quæ debitori fundi facta est, inutilis judicatur ob id, quod inspecta integritate rei & relatione facta ad rei ipsius dominum, ususfructus partem integralem constituit, quæ relata ad totum pro extincta habetur, nec per se spectari, aut in accepti-
12 lationem venire potest, non magis, † quam si promissori domus accepto ferantur fenestræ vel cœmenta *l. Et per jusjurandum 13. §. Illud 2. ff. de Acceptilat.* Et ita generaliter, quoties de jure illius agitur, qui est dominus, ipsaq; rei integritas in consideratione est, ususfructus est verè pars dominii: sic ut quamvis nostrum dici nequeat, cujus aliqua pars est alterius *d. l. Rectè dicimus 25.* rectè tamen dicamus totum fundum nostrum esse, cujus usus fructus est alienus: quoniam fundi & proprietatis integritas, quo ad juris effectum, non diminui-
14 tur per formalem usumfructum, † qui in servitute consistit *d. l. Rectè dicimus 25.* & in alienis rebus habetur, salva earum substantia, ut ipsa definitio ostendit, & qualitati servitu-
15 tum est consentaneum. Nam servitutes † naturæ & substantiæ rerum nihil detrahunt, sed tantum habitum quendam, & qualitatem accidentalem inducunt, per quam non minuuntur

quitur jus, aut substantia rei, sed tantùm extrinsecus impedimentum effectui, & exercitio juris objicitur, quod rei substantiam & integritatem non contingit. Et ita in prædictis casibus & similibus, in quibus integritas rei in consideratione est, & de jure ipsius domini agitur, usumfructum partem dominii esse dicimus.

Secundò consideratur usufructus, non quidem respectu ejus, qui verè est dominus, sed cui res est vendita, promissa, legata, aut aliter debita: & hoc casu, licet propter deficientem vim attrectivam dominii, ex parte stipulatoris, vel emptoris, usufructus verè pars dominii dici nequeat, tamen effectu futuræ acquisitionis considerato, est instar portionis, sicut ei, cui res est legata, vendita, aut promissa, satisfactum non videatur, nisi etiam accidat usufructus, qui omne rei emolumentum continet *l. fundum 46. ff. de Evict. l. qui usumfructum 58. ff. de verb. oblig. d. l. Mevius 66. §. fundo 6. & d. l. cum filius 76. §. dominus 2. ff. de legat. 2.* Propter proportionem enim & convenientiam, quam habet usufructus cum proprietate, cui destinatur, & relatione facta ad eum, cui fundus promissus est, meritò pars, aut instar

17 partis habetur: eaq; ratione † per benignam interpretationem fidejussor in usumfructum rectè accipitur, pro eo, qui est fundi debitor *l. si à reo 70. §. si reo 2. ff. de Fidejuss.*

18 Tertiò consideratur ususfructus † per se, & quatenus servitutem constituit, separatam, distinctam, & remotam à proprietate, relatione factâ ad ipsum usufructuarium, cui
19 hoc jus debetur: & hoc casu neq; pars est † neq; partis instar, neq; effectum dominii, neq; ullam communionem cum domino habet. Et hoc modo accipiendum est, quod jurisconsultus scribit, sub titulo: De rebus eorum, qui sub tutelâ vel curâ sunt &c. quòd ususfructus nullam communionẽ cum proprietate habeat *d. l. sed si fortè 6. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. &c.* Et quod à Paulo responsum est *in d. l. Rectè dicimus 25.* usumfructum non partem dominii, sed servitutem esse, eodemq; pertinet, quod alio responso est proditum *in l. si Titio 33. §. 1. ff. de usufr.* usumfructum nec effectum dominii habere, ideoq; non rei, sed personæ accedere. Unde eleganter usus-
20 fructus † ad jura personarum, & non rerum pertinere, dicitur: quoniam est qualitas extrinseca, consistens in servitute personali, quæ rem ipsam aut proprietatem non efficit, *d. l. Rectè dicimus 25.* & ita in omnibus casibus, in quibus, ipsa servitus ususfructus in consi-

deratione

deratione est, aut de jure usufructuarii agitur, cum proprietate nullam communionem habet, nec pars dominii aut proprietatis dici potest, *l. si quis unas ædes 32. ff. de usufr.* Negari tamen non potest, † quin usufructuarius in 21
jure nostro aliquando dominus appelletur, *l. in venditionem 8. ff. de bonis auth. jud. poss. l. liber homo 118. ff. de verb. oblig. l. si usus fructus 22. ff. de Aqua pluv.* Sed hoc contingit non ideò, quòd partem dominii, aut proprietatis habeat, sed usurpatione quâdam vocabuli, & ex latissimä domini significatione, quæ multùm generalis, & tam latè patet, ut quoscunq;, quibus aliquid juris in re comperit, sub se comprehendat.

Nam licet primùm domini fuerint appellati, † qui in domo præessent, & præ- 22
eminentiam seu dominationem aliquam haberent, *l. pronunciatio 195. §. 2. ff. de verb. signif.* posteà tamen etiam ad imperandi potestatem hujus vocis significatio extensa est. Unde Vergilius Romanos vocat rerum dominos, cœpitq; deinde in principibus compellandis, tam frequens esse, ut vix aliâ appellatione eos affari posterioribus temporibus licuerit. Unde jurisconsultus Antonium vocat dominum *in l. pen. ff. de his quæ in test. delent.* & Plinius Trajanum *in Epistol. Et in Panegyrico Trajan.* Divus Augustinus tamen † no- 23

men domini ſemper exhorruit, & ad amoliendam ſuſpicionem tyrannidis ſe Imperatorem potiùs appellari voluit: cumq; in ludo pronunciatum eſſet à mimo, dominũ æquum & bonum eſſe, Auguſtus manu vultuq; adulationes indecoras repreſsit, ac ſequenti die publicum fecit edictum, nequis ſe dominum, ſed Imperatorem appellaret. Tandem verò effectum eſt, ut non ſolum principes, ſed omnes, quibus officioſè honorem quis exhiberet, dominos vocarent. Ita Paulum Neſennius vocat dominum *in l. Neſennius 22. ff. ad l. Falcid.* refertq; Seneca, etiam Neronis temporibus obvios ſolitum vocari dominos, ſi nomen eorum non ſuccurriſſet.

Ex qua lata ſignificatione domini con-
24 ſequitur, † dominos dici, non ſolum eos, quibus proprietas, aut pars proprietatis competit, verum etiam omnes eos, qui aliquam dominandi vel moderandi poteſtatem in re habent: eaq; ratione uſufructuarius, quia omne rei emolumentum & exercitium, fructuumq; perceptionem habet, dominus vocatur. Quod Bartolus *in l. Innoxalibus 30. ff. de Noxal. Act.* Alexander *conſ. 129. lib. 1.* & alii intelligunt, quando ſimpliciter, & absq; rei mentione, domini nomen profertur. Sed rectius ſcribit Carolus Molinæus *in tract. de*

feud.

feud. §. 1. *gl.* 1. ex lata significatione domini usufructuarium etiam rectè dominum vocari, cum mentione & expressione rei, in qua habet usumfructum: quia qualitas idonea subintelligitur, & hoc quatenus agitur de exercitio jurium, ad usumfructuarium pertinentium. Unde infert Carolus Molinæus loco citato, sustineri actus, ab usufructuario explicatos, in qualitate domini: quod est magnifaciendum. Inde ulterius inferri potest, † usufructuarios castrorum & dominiorum, titulum domini rectè usurpare posse. 25
Item † quod si in libello se dominum nominaverit, & probaverit usumfructum sibi competere, obtinere debeat *argt. l. uti frui* 5. *ff. si ususfr. petat.* 26

Quibus casibus ususfructus appellatione proprietas contineatur, & quomodo legatum ususfructus, à legato proprietatis distinguatur.

Cap. VI.

SUMMARIA.

1. *Ususfructus sub conditione perpetua legatus continet proprietatem.*

2. *Idem*

2. *Idem est, in legato pecuniæ ad usum vitæ.*
3. *Vsufructu quarundam rerum ad dies vitæ legato, earum proprietas, vel si bonorum legetur, hereditas relicta censetur.*
4. *Nisi vxori existentibus liberis relictus sit,*
5. *Vel aliud ex circumstantiis appareat,*
6. *Vsufructu legato cum facultate alienandi, proprietas legata intelligitur.*
7. *Quoties mens & verba testatoris magis ad proprietatem, quàm usumfructum inclinant, proprietas relicta erit.*
8. *Legatâ alicui proprietate rei ad vitam, si interim ei substitutus moriatur, spem illam ad suum heredem non transmittit.*
9. *Proximus verò consanguineus substitutis, tempus mortis legatarii, & non testatoris, attenditur.*

NOvissimè prætermittẽdum non est, ple-
1 rumq; ususfructus apellatione † veram proprietatem contineri, quando videlicet relinquitur sub modo vel conditione, quæ perpetua esse possit: Ut si legem tibi usumfructum prædii mei, donec alienes extra familiam, perinde est, ac si prædium donassem, eâ lege, ut si alienatum esset, rediret ad here-
2 des meos. Quemadmodum si † cui pecunia relicta sit ad usum vitæ, ut post mortem ejus ad alium redeat, quanquam adscripta sit mentio usus, tamen proprietas est legata, *l. fin. ff. de usufruct. earum rer. quæ usu consum.* Cui simile quoq; est, quod jurisconsultus scribit, *in l. Titia, 34. §. Titia. 7. ff. de legat. 2. hoc modo.*

Titia

Titia cum nuberet Cajo Sejo, dedit in dotem prædia, & quasdam alias res, posteà decedens codicillis ita cavit: Cajum Sejum virum meum tibi commendo ô filia, cui dari volo ad vitæ usum, & fructum, participationem castelli Nacleorum, & in nihilum illum molestari de dote: erunt enim post mortem eius tua & filiorum tuorum: præterea alia multa huic eidem marito legavit, ut, quandiu viveret, haberet. Quærit jurisconsultus an proprietas an ususfructus sit relictus? Et decidit proprietatem marito deberi: ideoq; eo mortuo ex fideicommisso à filiâ peti. Quod pulchrè comprobat Scævola in *l. species 15. ff. de Aur. & argent. legat.* Species auri & argenti, inquit, Sejæ legavit, & ab eâ petiit in hæc verba: quicquid tibi specialiter in auro & argento legavi, id quoq; cum morieris reddas, restituas illi & illi vernis meis, quarum rerum ususfructus, dùm vives, tibi sufficiat: Quæsitum est, an ususfructus argenti & auri solus legatariæ debeatur? Respondit: secundùm verba, quæ proponebantur, proprietatem legatam, addito onere fideicommissi. Simili
3 modo † si cui relinquantur bona ad utendum fruendum vita suâ durante, & post mortem illius alius instituatur heres, non simplex ususfructus, sed hereditas restricta ad vitam relicta intelligitur. *Bald. & alii in l. Quoties C. de ha-*

de hæredib. instituend. & in l. His verbis ff. quand. dies
4 *leg. ced.* nisi † instituta fuerit uxor, seu uxori relicta dispositio rerum existentibus liberis: nam liberorum favore nomen proprietarii ac usufructuarii, seu domini sic est interpretandum, ut ad sola alimenta trahatur. *Bart. in l. Titia 34. §. Titia 7. ff. de legat. 2. l. Si mulieri 8. ff. de usufr. accresc.*

5 Præterea † limitantur prædicta nisi ex conjecturis & circumstantiis appareat, alium post mortem usufructuarii vocatum, & institutum esse, non ad differendam acquisitionem proprietatis, sed ut legatarium, ceu primo loco vocatum, præferret in commoditate ususfructus *Bald. in d. l. His verbis & cons. 50.*
6 *lib. 5.* Rursus † si legetur ususfructus data vel negata facultate alienandi. non ususfructus, sed proprietas relicta censetur *Barthol. Socin. cons. 131.* licet Franciscus Conanus *lib. 4. c. 3.* id controvertat in negata & prohibita alie-
7 natione. Deniq; † quotiescũq; aut mens aut verba testatoris ad proprietatẽ magis, quàm ad usumfructũ inclinant, relictæ proprietatis præsũptio capi debet, de quo articulo pleraq; pulchra habent Bartol. Socinus *consilio præcitato* & Andreas Alciatus *consil. 562.* Et ne quis inutilem existimet hanc investigationem & animadversionem, sciendum est, multiplicem

rem differentiam & effectum resultare. Nam cui proprietas relicta est, liberior usus atque alienandi facultas in vita sua continetur, quæ negatur usufructuario. Rursus † si proprietas relicta sit alicui ad vitam, is qui post mortem illius vocatur, si interim moriatur, nihil ad hæredem suum transmittit: quod secus esset [illegible] usufructu ipsi, id est, secundò vocato, statim à morte testatoris proprietas competiisset. Rursus † si cui relinquatur bonorum usufructus ad vitam, ita ut post mortem illius bona ad proximos consanguineos perveniant, quatenus proprietas hoc legato continetur, si ij, qui proximi sunt, mortis testatoris tempore, moriantur ante eum, qui bonis utitur & fruitur, nihil ad hæredes suos transmittũt, inspicimusq; in proximitate constituenda, tempus mortis eius, qui bona habet, ita ut sæpè alii ad huiusmodi bona perveniant, quàm qui fuerunt proximi mortis testatoris tempore; quod non admitteretur, si non proprietas, sed usufructus legatus fuisset.



Quibus

Quibus modis uſusfructus conſtituatur. Cap. VII.

SVMMARIA.

1. *Vſusfructus conſtituitur teſtamento,*
2. *Pactionibus & ſtipulationibus.*
3. *Familiæ Erciſcundæ, & communi dividundo iudicio.*
4. *Lege & conſuetudine.*
5. *Exceptione & retentione.*
6. *Vſucapione & præſcriptione.*
7. *L. Neq; fructuarium 8. C. de uſufructu declaratur.*

VSusfructus plurimis modis conſtituitur, & à proprietate ſeparatur *l. uſusfructus*
1 *pluribus modis 6. ff. & in pr. Inſt. de uſufr.* Ut † ecce ſi legatus fuerit. Nam omnium prædiorum uſusfructus jure legati poteſt conſtitui, ut heres jubeatur dare uſumfructum: quod intelligitur, ſi legatarium induxerit in fundum, aut eum uti frui patiatur *l. omnium 3. ff. eod.* Et
2 ſi ſine teſtamento † quis velit uſumfructum conſtituere, pactionibus & ſtipulationibus id efficere debet *d. l. omnium 3. d. §. 1. Inſt. de*
3 *uſufr.* Præterea † conſtituitur uſusfructus & in judicio familiæ Erciſcundæ, & communi dividundo, quoties res commodè dividi aut

inæqua-

in æquales portiones seu partes distribui non potest *d. l. ususfructus pluribus modis 6. §. 1. l. Et pu- 1016. §. 1. ff. Fam, Ercisc.* Rursus † ex ipsa lege 4
ususfructus plerunq; inducitur: veluti in usufructu, qui à lege in bonis filii, patri attribuitur *l. cum oportet 6. C. de bon. quæ lib. &c. l. 1. C. de bon. matern.* Quod idem est de consuetudine, cujus hæc est vis & potestas, ut usumfructum possit constituere: Veluti si superstiti conjugum ex jure municipali, vel consuetudine, tribuatur ususfructus in bonis prædefuncti conjugis, quemadmodum etiam passim observari videmus per Brabantiam. Sed & retentione † & exceptione ususfructus consti- 5
tuitur: veluti si in donatione, vel venditione fundi, usumfructum excipiam vel retineam *l. si quis unas 32. ff. de usufr. l. Quisquis 28. C. de donat.* Unde eleganter respondit jurisconsultus *in d. l. si quis unas 32.* Si quis unas ædes, quas habet, vel fundum vendat, excipere potest id, quod personæ non prædii est.

Novissimè † etiam usucapione seu præscriptione pleriq; usumfructum acquiri exi- 6
stimant. *Bart. in l. justo. 44. §. non mutat. ff. de usucap. Cyn. & Salyc. in l. 1. C. de servit.* ut si à non domino bonâ fide usumfructum quis comparaverit, & longo tempore possedit, videtur longo tempore & præscriptione ususfructus acquiri: quod tamen † alii negant eâ ratione,

quod Imperatores responderint *in l. Neq; fructuarium 8. C. de usufr.* Neq; fructuarium ad obtinendam proprietatem rerum, quarũ usumfructum habet, neq; successores ejus, temporis præscriptione muniri. Sed responsum illud Imperatorum de proprietatis præscriptione agit, & ad ususfructus acquisitionem nihil pertinet. Veriùs videtur præscrptionem & usucapionem cessare: usumfructum autem acquiri per consuetudinem, diuturnum usum & vestustatem facti, sicut in aliis servitutibus constitutum est. *l. 1. §. fin. ff. de aqua pluv. &c. in verb. Longa consuetudine l. 1. C. de servitut. in verb. Qui judex erit longi temporis, consuetudinem vilem servitutis obtinere sciet, l. si quis diuturno 10. ff. si servit. vindic. l. Hoc jure 3. §. ductus aquæ 4. ff. De aqua quotid.* Et hinc illud est, quod jurisconsulti in acquirendo rerum dominio jure civili; Item in amittendâ servitute frequenter meminerunt legitimi costitutiq; temporis *l. si communem 10. l. si quis 13. l. si locus 14. l. Aquam 16. ff. Quemad. servit. amit. l. 3. & l. Eum qui ædes 23. ff. de usucap.* quod Iustinianus decennio & vicennio terminavit *in pr. Inst. de usucap.* At in introducendâ cõstituendaq; servitute: item in introducendâ cõnsuetudine, nusquã certi cõnstitutiq; temporis jurisconsulti meminerunt, neq; certo annorum spacio ea res à Iustiniano est circumscripta *d. l. si quis diuturno 10. tot. tit. C. quæ sit long. consuet.* Differentias au-

tem usucapionis, seu diuturni usus, seu consuetudinis, retulimus in tractatu tituli, in quo agitur de agris vectigalibus.

De usufructu legato. Cap. VIII.

SVMMARIA.

1. *Omnium prædiorum usufructus legari potest, eumque heredem dare oportet.*
2. *Quando à dare intelligatur.*
3. *Fideicomisso ab eo relicto, cui usufructus est legatus, si is ad usumfructum non pervenerit, heres illud præstabit.*
4. *Legatâ proprietate, remanente usufructu apud heredem, tantùm ad primum heredem restringitur: Fallit num. 7.*
5. *Pluribus heredibus ex diversis partibus scriptis, uno deficiente, usufructus quoque pro ea deficit parte, nec reliquis accrescit.*
6. *Ius accrescendi quando locum habeat.*
8. *Legatum fundi, detracto usufructu, statim ad legatarium transit, si purum sit, secus si conditionale.*
9. *Alii fundus, alii usufructus eiusdem legari potest, modo detracto usufructu legetur: quia simpliciter relictus usufructus inter legatarios communicabitur.*
10. *Duobus proprietate, & uni usufructu relicto, hic semissem, & illi duo semissem habebunt: & contra.*
11. *Prædio & illius usufructu uni, eidemque legato potest vel proprietas, vel usufructus eligi: sed altero electo, regressus ad alterum amplius non datur.*
12. *Coniunctio posita inter pugnantia resolvitur in alternativam.*

13. *Liberis institutis, Vxori verò bonorum usufructu relicto, non solidus usufructus, sed tantùm alimenta debentur.*
14. *Etiamsi domina & massaria sit relicta.*
15. *Pactum illud inter coniuges, quo superstiti omnia bona, (sub onere alendi liberos) relinquuntur, quomodo sit intelligendum.*
16. *Antinomia L. Per servum 14. ¶. usufructus 1. ff. de usu & habit: cum L. Huic stipulationi 5. ¶. 1. & 2. ff. usufruct. quemad. Cav.*
17. *Alciati conciliatio*
18. *Hac reiecta Molinaei approbatur.*
19. *De legato usufructu rei & aestimationis; earumque inter se differentia.*
20. *Legatum in singulos annos à legato ususfructus simplicis differt in eo; quod capitis diminutione non pereat.*
21. *Secundò, quod in ingressu cuiuslibet anni debeatur, idque legatarius, etiamsi in principio anni moriatur, totum ad heredem transmittat.*
22. *Tertiò: Quod in hoc plura censeantur esse legata, in illo verò unum.*
23. *Quartò: Quòd hoc sit cōditionale, illud verò purum.*
24. *Legato reditu patrimonii vel certa quantitate annua, heres colere, & reditum legatario praestare potest.*
25. *Legato ususfructus alternis annis, quae contineantur.*
26. *Servitus aquae & via, neque ex tempore neque ad tempus constitui potest.*
27. *Vsufructu duobus alternis annis relicto, si circa usum dissentiant, quibus relictus est, quid faciendum.*
28. *Vsusfructus & purè & sub conditione: Item ex die & in diem constitui potest.*

29. *Vsus-*

29. *Usufructus purè relicti effectus.*
30. *Ante aditam hereditatem peti non potest: & quare?*
31. *Differentia legati usufructus ab aliis legatis.*
32. *Usumfructum non amittit legatarius, si ante aditam hereditatem capite minuatur.*

QVoniam in legando usufructu multæ sunt formulæ & varietates, quarũ quælibet singularia aliqua habet, & proprios effectus, operæ pretium est singulas seorsim excutere, totamq; materiam legati usufructus, velut errantem, & per varios titulos dispersam, in unum colligere, & ordine proposito, explicare. In qua re, ut à frequentioribus formulis legandi usufructus incipiamus, scribit Cajus jurisconsultus *in l. 3. ff. de usufr.*
Omnium prædiorum † jure legati posse con- 1
stitui usumfructum, ut heres jubeatur dare alicui usumfructum, vel ut proprietas deducto usufructu legetur: nam utroq; modo usufructus constituitur. Priore usufructus legatario acquiritur, quem heres tenetur dare reservatâ proprietate. Dare † autem in- 2
telligitur, si legatarium in fundum induxerit, vel eum uti frui patiatur *d. l. 3.* Et usq; adeo ad onus heredis pertinet, legato usufructu, eum
præstare: ut si ab eo, † cui legatus est usufru- 3
ctus, fideicommissum relictum fuerit, & is ad usumfructum non pervenerit, heres tamen illum fideicommissario præstare tenea-

 tur

tur *l. si ab eo cui 9. ff. de usufr. legat.* Posteriore † casu, quando deducto usufructu legatus est fundus, vel proprietas, usufructus apud heredem remanet, *l. si purè 4. ff. de usufr. leg. l. ususfructus pluribus modis 6. ff. de usufr.* Et hoc casu proprietas statim ad legatarium pervenit, & rectâ viâ pervenit, ita, ut nec momento temporis apud heredem resideat, nec aditione hereditatis confusio cum proprietate fiat, *d. l. si purè 4. ff. de usufr. leg. l. Papinianus 18. ff. de servitut.* usufructus autem apud heredem remanet, *d. l. usufructus pluribus modis 6.* ob quod magna fuit veterum dubitatio, an legatum hujusmodi subsisteret, in quo proprietas, deducto usufructu, relinquitur? Nam si apud heredem (ut dictum est,) usufructus remaneat, proprietas semper videtur futura inutilis, cũ in infinitum omnes successores heredes appellentur. Quam dubitationem decidens Justinianus constituit, usumfructum in hac specie restringi ad vitam primi heredis, *l. Antiquitas 14. C. de usufr.* Ex † quo rursus alia quæstio enascitur: Si plures sint heredes, & qui-dem disparis ætatis, ex cujus personâ usumfructũ metiri oporteat, paucis dicemus. In omnium personis pro portionibus hereditariis usumfructũ consistere, ideoq; in uniuscujusq; personâ pro parte hereditariâ perimi usufructũ. Sed dicit aliquis, id adhuc non profuturum proprietario propter jus accrescendi, per

quod portio desinens accrescit coheredibus, sic ut perinde futurũ sit, acsi in singulorũ personis usufructus consisteret, & ex vita ultimi superstitis dependeret. Respondebimus in specie, de qua agitur, jus accrescendi non procedere: quoniam, cũ usufructus divisionem recipit, videtur inter coheredes ex L. XII. tabularum ab initio in partes distributus & non per concursum divisus, *l. si duobus heredibus* (*in quibusdam est l. 1. §. 4.*) *ff. de usufr. accresc. l. Idem etsi 6. §. 1. eod.* Siquidem cum legatâ proprietate usufruct⁹ in hereditate remanet, plures heredes succedendo, divisas partes in usufructu, sicut in aliis rebus hereditariis accipiunt, *l. pro hereditariis 2. C. de hered. action.* Et ita jus † accrescendi cessat, cui tunc demum locus est, quoties duo in solidũ jus habent, vel duobus vel pluribus eadem res conjunctim relicta est *l. 1. Et d. l. Idem Neratius 3. ff. de usufr. accresc.* Porro † quod superius à Justiniano definitum est *in d. l. Antiquitas 14.* legatâ proprietate, deducto usufructu, restringi usumfructũ ad personam primi heredis, nec extendi ad ulteriores: verũ est, si primus heres ad usumfructum formalem pervenerit: secus verò si ad usumfructũ, antequam moreretur, non pervenerit: veluti legavit testator fundũ, deducto usufructu, post decennium vel sub conditione, & medio tẽpore heres moritur: Certè quia usufructus heredis

heredis non est, nisi deducto eo, dominium præstiterit, non potest videri usufructus aliquis fuisse apud heredem: quoniam pendente conditione vel termino, ex quo proprietas legata est, decessit: ideoq; incipiet primum ab herede heredis, & ex ejus persona
8 finietur. *l. Sempronius Attalus 26. l. uxori usumfructum 35. ff. de usufr. legat.* Præterea † quod dicitur legatum fundi, detracto usufructu, statim transire ad legatarium, verum est in legato puro *l. si. purè 4. ff. eod.* secus verò in proprietate sub conditione legatâ: nam tunc ab initio proprietas cum usufructu permiscetur, & plenus fundus apud heredem remanet, pendente conditione. *Accurs. & alii in d. l. si purè 4.*

9 Tertiò est alia formula per quam † alii fundus, detracto usufructu, alii ususfructus ejusdem fundi legatur. Quo casu alter nudam proprietatem, alter usumfructum est habiturus: Veluti si testator dicit, Titio fundum, detracto usufructu, lego Sejo ejusdem fundi usumfructum heres dato, *c. si alii 19. ff. de usufr. leg. l. Idem Neratius 3. §. non solū. 2. ff. de usufr. accresc.* Quâ formulâ diligenter est observandum, ut hæc cautio, Detracto usufructu, adjiciatur. Nam alioquin si testator alii fundum, alii ejusdem fundi usumfructum reliquerit, eo proposito, ut alius usumfructum haberet, alius nudam proprietatem, errore labitur:

labitur: nam detracto usufructu eum legare oportet, *d. l. si alii 19.* aut usufructus inter legatarios communicabitur *d. l. si alii 19. d. l. Idem Neratius 3. §. non solùm 2.* Et si proprietas absq; hac adjectione detracto usufructu, pluribus relicta sit, usufructus uni, vel usufructus pluribus, proprietas uni, ea subest partium in usufructu distributio, quæ à jurisconsulto præscripta est, *in l. si proprietas 9. ff. de usufr. accresc.* dum ita inquit: Si proprietas † fundi 10
duobus relicta sit, usufructus uni, non trientem in usufructu habent, sed semissem duo, & semissem fructuarius Item contra, si sint duo fructuarii, & unus fundi legatarius. Rursus est alia formula, † per quam uni eidemq; 11
legatur & fundus sive prædium, & illius usufructus: Quo casu copulativa conjunctio accipitur pro disjunctiva: ut scilicet, dum legat testator eidem, & proprietatē & usumfructum, intelligatur legasse vel proprietatem vel usumfructum, id est, alterutrum quod elegerit legatarius, in cujus potestate est fundum vel usumfructum vindicare: Et si fundum elegerit, necessariò plenam proprietatem habebit, licet usumfructum à se repulerit: quoniam fundus legatus est simpliciter, & absq; hac adjectione, detracto usufructu: Si verò usumfructum habere maluerit, derelictá proprietate, id ei licebit, *l. si*

Titio 10. ff. de usufr. legat. quoniam ususfructus mentio refertur ad formalem, qui in servitute consistit, estq; repugnãs cum legato ipsius fundi, ob quod electio tribuitur legatario.
12 Conjunctio † enim semper posita inter pugnantia, resolvitur in alternativam. Rursus est alia formula per quam usus fructus legatus non prorsus, sed tantùm pro parte à proprie-
13 tate separatur: veluti si liberis † institutis, maritus uxori relinquit usumfructum, *l. si mulieri 8. ff. de usufr. accresc.* siquidem hoc casu mater non habebit solidum usumfructum, sed alimenta atq; liberos secum fruentes. Nam filiorum favore usufructuarii nomen est interpretandum, ut ad alimenta trahatur *Bart. in l. Titia 34. §. Titiæ 7. ff. de leg. 2. Pulchrè Bene-*
14 *dictus Capra cons. 38. n. 3.* usq; adeo † ut etiamsi uxor sit relicta domina & massaria nihilominus tamen liberis extantibus, sola alimenta habere debeat: non extantibus verò liberis, usumfructum duntaxat *Benedict. Capra cons. 25. & cons. 54. Dd in Auth. hoc locum C. de secund. nupt. Collector arrestorum Gallicæ lib. 14. tit. 2. c. 1.*
15 Quod est observandum † pro communi praxi & consuetudine, qua videmus plerunq; conjuges instrumenta sua sic concipere, ut superstes eorum omnia bona habeat, sub onere alendi liberos. Etenim quamvis hujusmodi relictum in rem ipsius concipiatur,

& ex

& ex verborũ significatione latissimè pateat, tamen liberorum favore restringitur, ut sola alimenta contineat.

Præterea sciendum est nihil interesse, fructus an ususfructus legetur. Nam fructui & usus inest, usui fructus deest. Et fructus quidem sine usu esse non potest, usus sine fructu potest, *l. per servum 14. §. ususfructus 1. ff. de usu & habit.* Unde Paulus † ad Sabinum scribit: si 16
usufructu legato, usus adimatur, totum videri ademptum. Imò etiamsi fructus, deducto usu, legatus sit, inutile esse legatum, *d. l. per servum 14. §. ususfructus 1.* Imò nemo fructum habet, qui nec usum habeat: quoniam inhæret fructui, & ab eo est inseparabilis. Sed prædictis ex diametro Ulpiani responsum, *in l. Huic stipulationi 5. §. 1. & 2. ff. usufr. quemad. cav.* repugnare videtur, in quo ita scribit: Sed etsi usus sine fructu legat⁹ sit, adeptâ fructus causâ, satisdare jubet Prætor, ut de solo usu caveatur, non etiã de fructu: Ergo etsi fructus sine usu cõtigerit, stipulatio locũ habebit. Quib⁹ verbis significatur fructũ sine usu cõtingere posse. In quo titulo variæ ab interpretib⁹ dantur solutiones. Alciatus † *Parerg. lib. 2. c. 3.* sic con- 17
ciliare nititur. Quod Ulpian⁹ *in l. Huic stipula. 5. §. 1.* non quærat, an legatũ fruct⁹ sine usu valeat, vel non, sed agat duntaxat de formula cautionis præstandæ pro legato fructu absq;

mentione

mentione usus. Et exponit Alciatus verba textus: si fructus sine usu, id est, plenus ususfruct⁹ sine mētione vel detractione usus. Sed Carolus Molinæus *in l. 1. §. sed si mihi 5. n. 700. ff. de verb. oblig.* hanc solutionē dicit esse deteriorem cæteris, utpote quæ destruat textum: quia verba sine usu necessariò detractionem
18 sonant. Veram itaq; solutionem † Molinæus eam esse dicit: quod Paulus jurisconsultus *in d. l. per servum 14. §. usufructus 1.* loquatur de absolutâ detractione usus facti, seu commoditatis, per quam totum legatum vitiatur, veluti diminutâ aut peremptâ rei substantiâ: quia fructus sine aliquo usu esse non potest, & esset repugnantia, quæ omnia vitiat. Sed Ulpianus *in d. l. Huic. 5. §. 1.* loquitur de usu & servitute, quæ totam commoditatem non absorbet, nec loquitur de legato fructu sine usu, sed quoniam in eodem fundo contingit, unum habere servitutem usus, & alterum servitutem ususfructus, puta, quando plena proprietas est unius, plena verò & solida servitus usus alterius, & tertii ususfructus, sic ut tertius ille, cui ususfructus sine usu obtigit, id est, non plenus, sed detractâ servitute usus ad alium spectante, non teneatur cavere de pleno usufructu sive simpliciter, sed solùm detractâ commoditate usus ad alium spectantis, & detractis factis usuarii, quemadmodum usuarius de

de solo usu, & facto suo cavet, non autem de usufructu, qui major est, nec de facto fructuarii, super quo vigilare non tenetur. Eaq; videtur vera conciliatio & explicatio prædictorum responsorum; quam & Glossa post Iruerium *in d. l. Huic stipulationi 5.* & Zasius *in dissolutionibus antinomiarum* aspexisse, sed non explicasse videntur, ex quibus infert Molinæus *loco præcitato* contra Alciatum & alios; quod etiam ab initio usufructus esse posit, detracto usu generaliter, id est, servitutis usus, alii competenter recte legari & cõstitui.

Rursus plerumq; † rerum, plerumq; æstimationis usufructus relinquitur *l. si alii 42. §. 1 ff. de usufr.* Inter quæ duo hæc est differentia: quod in æstimationis usufructu plus sit, quàm in usufructu rerum. Nam rerum usufructu legato, etiam illæ res continentur, quæ prælegatæ fuerant, ut scilicet nihil earum nomine debeatur. In legato verò æstimationis, etiam illarum, quæ prælegatæ sunt, æstimatio venit. Nam sæpiùs idem legando non ampliat testator legatum: re autem legatâ etiam æstimationem illius legando, ampliare legatum possumus, *d. l. si alii 43. §. 1.* Item, plerunq; fructus, plerunq; usufructus, plerunq; reditus patrimonii *l. patrimonii 22. ff. de usufr. legat. l. si quis ita 20. ff. de usufr.* Et plerunq; simpliciter, plerunq; in annos singulos *d. l. si quis ita* 15

ita 20. l. in singulos annos 8. ff. de annuis legat. l. 1. ff.
20 *quando dies leg. usufr. ced.* Quæ legandi † species cum usufructu in eo convenit, quod morte finiatur *d. l. in annos singulos 8.* Differt autem in multis. Primó quod capitis diminutione non perimatur, sicut ususfructus *d. l. in annos singulos 8.* Quoniam usufructu in annos singulos relicto, commemoratio temporis repetitionis potestatem habet, *l. 3. ff. Quib. mod. ususfr.*
21 *amitt. l. licet testatori 23. de usufr. legat.* Secundò † in eo, quod legatum ususfructus in singulos annos, in ingressu cujuslibet anni debeatur, ita ut moriens legatarius, in principio anni, totius anni fructum ad heredem transmittat: quod non est in usufructu simpliciter constituto, cum fructuarius, etiamsi maturis fructibus, & nondum perceptis decedat, heredi suo fructus non relinquat, *d. l. in singulos annos 8.*
22 Rursus † in usufructu, quamvis in fruendo consistat, tamen semel cedit dies, & unicum est legatum tractum successivum habens: In legato verò annuo, vel in singulos dies, aut menses relicto, per singulos dies, menses & annos dies legati cedit *d. l. 1. ff. Quando dies ususfr. leg. ced.* & plura sunt legata, *l. 4. ff. de ann*
23 *leg.* Præterea † legatum in annos singulos conditionem habet suspensivam, si vivat legatarius, *d. l. 4.* ususfructus simpliciter constitutus, purè debetur, & ex die mortis extinguitur

guitur seu resolvitur. Item legato † reditu pa- 24
trimonii, vel certâ quantitate annuâ, heres
potest patrimonium vel prædia retinere, &
ipse colere, si reditũ aut æstimationem præ-
stet, *d. l. patrimonii 22. & l. general. 32. § heredis 7. ff. de usufr. legat.* usufructuarius verò ipse co-
lere & uti frui debet. Prædictis simile est † le- 25
gatum, cum alternis annis relinquitur usus-
fructus, *l. cum usufructus 13. ff. eod.* Etenim non
unum, sed plura sunt legata, quando usufru-
ctus alternis annis relinquitur: licet, aliud sit
in servitute † aquæ, & viæ, quæ natura sua ha- 26
bet intermissionem, neq; ex tempore, neq;
ad tempus constitui potest, *l. 4. ff. de servitut.*
Quod in usufructu aliter servatur, *l. 4. ff. de usufr.* Et hæc species legandi usumfructum
alternis annis obtinet, non solùm in uno le-
gatario, sed & in pluribus, *l. si duobus 2. ff. Quibus mod. usufr. amit.* Et si duobus separatim al-
ternis annis proprietas nuda est: cum in uno,
qui alternis annis frui debet, plena sit apud
heredem proprietas, eo tempore, quo jus
fruendi legatario non est, *d. l. si duobus 2.* Præ-
terea cum singulis alternis annis usufru-
ctus legatur, si consentiant in eundem an-
num, impediuntur: quia non id actum vide-
tur, ut cõcurrerent, nisi duobus simul & con-
junctim alternis annis legetur usufructus,
quod ultra primũ annũ procedere nõ potest:

non

25 non magis quàm si uni ita legatus fuisset usus-fructus *d. l. si duobus 2. §. cum singulis 2.* Et hoc est, quod jurisconsultus scribit *in d. §. cum singulis 2.* Multùm referre duobus simul alternis annis legetur, an singulis alternis annis, id est separatim. Nam priore casu possunt con-
26 currere legatarii: posteriore verò si volent concurrere, aut se impedient propter voluntatem, aut si ea non refragabitur, singulorum annorum fructus vacabit *d. l. si duobus 2. § cum singulis 2. ff. Quib. mod. usufr. amitt.* Quâ ratio-
27 ne † elegans consilium à jurisconsulto est proditum *in l. Quoties 34. ff. de usufr.* Ut in conflictu, dum uterq; primum annum postulat, is potior judicetur, qui prior est nominatus, & si de nominis prioritate non appareat. per concursum se invicem impedient *d. l. Quoties 34.* nisi per sortem res dirimatur, *l. si duobus 3. c. commun. de legat.* quæ tamen non recipitur, si agatur de tertii præjudicio, qui sortis judicium non approbat, neq; in eam consentit.

28 Progrediendo nunc ad alios modos illud primo occurrit: quód † usufructus & purè simpliciterq; & sub conditione: Item ex die & in diem constitui posit, *l. usufructus ab initio 5. ff. de usufr. l. 1. §. Item si ex die 3. ff. Quand. dies legat. usufr. ced. l. sub conditione 54. ff. d. usufr.*
29 De quibus singulis ex ordine videre convenit. Et primò † quoties usufructus purè, id est,

eſt, ſine ullâ temporis aut conditionis com-
memoratione conſtituitur, præſens dari de-
bet, & ſtatim peti poteſt, rectaq; viâ tranſit
ad legatarium, nulloq; momento apud here-
dem reſidet, adeo, ut aditio facta per here-
dem uſumfructum legatarii non perimat:
quoniam ipſo momento & puncto temporis
à proprietate ſeparatur, & ſtatim, ac ipſo jure
in legatarium transfertur *argt. l. à Titio 64. ff.*
de Furt. Nam in omnibus obligationibus,
quoties dies non apponitur, præſenti die de-
betur, *l. Eum qui calendis 41. §. fin. ff. de verb. oblig.*
§. omnis ſtipulatio 2. Inſt. eod. Meminiſſe tamen
convenit, quòd † uſusfructus purè legatus, 3
ita peti poſsit, ſi adita fuit hereditas: quoniam
dies legati uſusfructus non cedit, priusquam
adeatur hereditas, *l. 1. §. Dies autem 2. ff. Quand.*
dies uſufr. leg. ced. Et ſi ob hoc heres ſcriptus
tardiùs adierit hereditatem, intereſſe quod
legatarius patitur, præſtare debet, adeo ut ſi
uſusfructus ſervi legetur, & per heredem ſte-
terit, quo minus præſtaretur, mortuo ſervo,
heres legatario præſtare tenetur, quanti ſua
intereſt moram non eſſe factam: ut ſcilicet ex
eo tempore in diem, quo mortuus eſt, ſervus
æſtimetur, *l. qui uſumfructum area 36. §. fin. ff. de*
uſufr. Porro usq; adeo uſusfructus, etiam pu-
rè relicti, dies non cedit ante aditam heredi-
tatem, ut nec priùs debeatur, nec actio ejus

E nomine

nomine detur: quia domini persona est expectanda, quæ uti frui patiatur, *d. l. unic. §. 2. ff. quand. dies legat. usufr. ced.* Quod † speciale est in usufructu, *l. unic. §. libertatibus 6. C. de Caduc. toll.* quia in aliis legatis puris dies statim cedit à morte testatoris, & statim debetur, *d. §. libertatibus 6. & d. l. unica §. 2.* Ex qua diffe-
32 rentia ususfructus † ab aliis legatis infertur, quòd si ante aditam hereditatem legatarius capite minuatur, non amitti usumfructum. Nam capitis diminutio eum demum usumfructum perimit, qui est constitutus *l. 1. §. 1. ff. Quib. mod. ususfr. amit.* Qua ratione, si servo vel filio legata sit habitatio, vel ususfructus, non acquiritur domino vel patri legatum, si ante aditam hereditatem filius vel servus decesserit: nam personæ cohæret. Deniq; sciendum est, id quod dicitur legatum usumfructum statim ad legatarium pertinere post aditam hereditatem, intelligi debere duntaxat in usufructu purè relicto, *l. si purè 2. ff. Quand. leg. ced.* secus si sub conditione legatum factum sit, *l. 2. l. 5. §. 2. ff. eod.*



De

De usufructu sub conditione relicto vel legato, Cap. IX.

SVMMARIA.

1. *Fructuarius ante existentiam conditionis agere non potest. Et quare?*
2. *Non distinguendo an sit potestiva, an vero legato alternativo adiecta.*
3. *Expressa sit, an veró tacita.*
4. *Tacitæ conditiones regulariter obligationem non suspendunt, sed eius executionem.*
5. *Dies usufructus sub conditione legati, sicut cæterorum legatorum conditionalium, non à morte testatoris, sed existentia conditionis cedit.*
6. *Pendente conditione, usufructus penes heredem est, qui eum alienare vel legare potest.*
7. *Vni fundo, detracto usufructu purè, alteri sub conditione, legato, pendente ea, fundus cum usufructu apud collegatarium erit.*
8. *In legatis conditionalibus substitutus excludit heredem, nisi alia sit voluntas testatoris.*
9. *Effectus conditionis existentis.*
10. *L. Si fructuarium 6. ff. de Manum. testam. restituta.*
11. *Vsusfructus ante aditam hereditatem non cedit, secus in aliis legatis.*
12. *Deficientis conditionis effectus.*
13. *Differentia inter conditionem suspensiuam & resolutiuam.*
14. *Modus vel causa usufructui adiecta cum non suspendit.*

15. *Ex die relictus ante diem non cedit.*
16. *Ad diem autem certum legatus durat, licet legatarius interim moriatur.*
17. *Eo finito, fructus ab illo tempore percepti hæredi sunt restituendi.*
18. *Ex die mortis inutiliter constituitur.*
19. *Vni tantum vel pluribus constitui potest.*
20. *Item: Pro parte divisa vel indivisa, contra aliarum servitutum naturam.*
21. *Variæ interpretum circa hanc differentiam rationes.*
22. *Quibus reiectis vera affertur.*
23. *Necessitas diminutionem vel detractionem non patitur.*
24. *Cur servitutes multiplicari, non autem dividi possint.*
25. *Pro parte quis frui, uti verò pro parte nequit, & quæ sit huius differentiæ ratio.*
26. *Alimenta, licet in necessitate personæ consistant, attamen dividi possunt: & quare?*

1 QVoties † ususfructus sub conditione legatus est, usufructuarius agere non potest, antequam existat conditio, *l. Tito ususfructus 21. ff. de usufr. legat. l. sub conditione 54. ff. de usufr.* & interim manet ususfructus penes proprietatem. Etenim pendens conditio operatur, ut nec dies legati cedat interim, nec aliquid legatario acquiratur. Conditiones enim etiam mortuo testatore legatum suspendunt, efficiuntq; ut non priùs dies cedat, quàm conditio extiterit, *l. si post diem 5. §. sed si sub*

sub conditione 2. ff. Quand. dies legat. ced. l. Fundus 4. ff. si usufr. pet. Quod procedit † etiamsi talis fuerit conditio, quæ consistit in potestate ipsius legatarii d. l. si post diem 5. §. si sub conditione 2. vel agatur de legato alternativo, in cujus alterâ parte conditio est adjecta. Nam adjecta conditio in unâ parte totum suspendit, ut nihil interim transmittatur. Unde pulcrè jurisconsultus scribit, in l. cum illud 25. ff. Quand. dies legat. ced. Si purè fundum alterum Titio, vel alterum sub conditione legaveris, pendente conditione neutrum eliget Titius, nec, si interim moriatur, quicquam ad heredem suum transmittet. Et rursus, si Titio usufructus Stichi, aut si navis ex Asiâ venerit, decem legata sint, dum pendet conditio, usufructus peti non poterit, d. l. Titio 21. ff. de usufr. legat. ne potestas heredi utrum velit dandi auferatur. Præterea referre non videtur, † expressa an tacita fuerit conditio: ut si ita legatum sit: Stichum, vel quod ex Pamphilâ natum erit, heres meus dato, l. cum i. a 16. ff. Quand. dies legat. ced. Quamvis enim, si separatim Stichus, aut per se, quod ex Pamphilâ nascetur, legatum sit, dies à morte testatoris cedere dicatur: cum tamen utrumq; simul jungitur, ab existente demum conditione, cedere dicitur, vel quia (ut Bartolus ait) duplex hîc dubietas sit, vel quòd hæc alternatio 2 3

 tacitam

tacitam in se conditionem habeat, si eo ventum sit, ut electioni locus esse possit. Quod tanquam observatione dignum, annotavi

4 Philibertus Brucelius, *in tractatu de Conditionibus lib. 2. tit. 1.* ad naturam tacitarum conditionum cognoscendam, † quæ regulariter veram suspensionem obligationis vel dispositionis non inducunt, licet executionem differant *gloss. singularis in c. In Electionib. De Electionib.*

5 *in 6.* Quoties † itaq; ususfructus sub conditione relictus est, sicut cujuslibet alterius cõditionalis legati, diem non à morte testatoris, ut in puris legatis, sed ab existente cõditione, cedere dicimus, *d. l. sub conditione 54. d. l. Titio*

6 *ususfructus 21.* Interim † verò dum pendet conditio, id est, medio tempore ususfructus penes heredem est, *l. si sub conditione 16. ff. Quib. mod. ususfr. amit. d. l. fundus 4. ff. si ususfr. petat.* Quemadmodũ fit in omnibus aliis legatis & fideicomissis conditionalibus, ut non minus copiosè, quàm eleganter explicavit Ioannes Copus *in tractat. de fructibus* & Philibertus Brucelius *in tract. de Conditionib.* Et usq; adeo interim ususfructus ad heredem pertinet, ut ipse eum medio tempore alienare vel legare possit. Nam si mihi legatus sit ususfructus sub conditione, medio tempore non meus, sed heredis erit, poteritq; heres eum alteri legare: quo casu, existente conditione mei legati, usus-

usufructus meus erit, & finietur is usufructus, quem alius ab herede habet, nec redintegrabitur, etiamsi ego usumfructum meum postea amisero: quia ex diversis testamentis jus conjunctionis non contingit, & ita cessat jus accrescendi *d. l. si sub conditione 16. ff. Quib. mod. usufr. amit.*

Porro sciendum est, ita usumfructum, pendente conditione, manere penes heredem, si simpliciter usufructus legatus sit, nulla singulari dispositione de proprietate facta. Nam † si fundus detracto usufructu legatus 7
est uni, & ejusdem fundi usufructus alteri sub conditione, interim cum proprietate erit usufructus apud legatarium, *d. l. Fundus 4. ff. si usufr. pet.* quia cum paterfamiliâs fundum, detracto usufructu uni legat, alii usumfructum sub conditione, non hoc agit, ut interim usufructus apud heredem remaneat, *d. l. fundus 4.* Simili modo heres pendente conditione ab usufructu excluditur, quando is, cui sub conditione legatus est usufructus, cõjunctũ habet, cui usufructus purè debetur: nam jure accrescẽdi tot⁹ usufruct⁹ ei debetur, cui purè legatus est usufructus, tantisper donec in alterius persona existat conditio, *l. Idem etsi 6. in fin. ff. de usufr. accresc.* Quo etiam pertinet, † 8
quod in caducis vel conditionalibus legatis

 substitutus

substitutus excludat heredem, *l. si ab eo cui 9. ff. de usufr. legat.* nam ita demum heres admittitur, si neq; conjunctus neq; substitutus concurrat, *l. unic. §. quod si in medio (in quibusdam est vers. §. sin autem aliquid 7.) C. de caduc. toll.* neq; mens, aut voluntas testatoris ei refragetur *d. l. fundus 4.* Et hæc de effectu pendentis conditionis.

9 Nunc de existentiâ conditionis † & illius effectu videamus. In quâ re exploratum est, existente conditione, diem legati cedere, *l. si post diem 5. sed si sub conditione 2. ff. Quand. dies legat. ced.* Atq; adeo in ipso puncto conditionis existentis hic dies cedere dicitur. Unde si cui legatum fuerit, si in Capitolium non ascendisset, moriente eo, dies legati cessisse videtur *l fin. ff. de condit. instit.* Et si servo post mortem domini legatum sit, quamvis is à domino licet esse jussus sit testamento, tamen heredi domini debetur, acquiriturq; legatum: ante enim evenit conditio, cessitq; dies legati, quàm aliquis heres domino existeret, *l. si post mortem 68. §. 1, ff de legat. 1.* Quod quidem obtinet generaliter, maximè verò in libertate, quæ statim competit etiam ipso jure, usq; adeo ut si servi dominus usufructuarium heredem scripserit, servoq; libertatem sub conditione dederit, confuso usufructu, ubi conditio extiterit, servus statim ad liberta-

 395

tem perveniet, ut ab Ulpiano reſponſum eſt, *in l. ſi fructuarium 6. ff. de manum. teſtam.* Quod reſponſum † in vulgatis codicib⁹ corruptum 10
hoc modo reſtitui debet: Si fructuarium dominus proprietatis heredem ſcripſerit, & ſervo ſub conditione ſit libertas data: quoniam interim fit heredis, confuſione factâ, uſuſfructus: ſi extiterit conditio perveniet ſervus ad libertatem. Cæterum † quamvis regulari- 11
ter in aliis legatis, in puncto exiſtentis conditionis, cedat dies legati; id tamen in uſufructu legato non obtinet perpetuo, ob id, quod ſpeciali ratione aditio hereditatis & perſona domini in uſufructu ſit neceſſaria.

Reſtat nunc videre † de effectu deficì- 12
entis conditionis, quæ efficit, ut uſusfructus ad heredem pertineat *d. l. fundus 4. ff. ſi uſufr. pet.* Quod usq; adeo verum eſt, ut ſi heres pendente conditione fundum, cujus uſusfructus alii legatus erat, deducto uſufructu alienaverit, nihilominus uſumfructum habeat, deficiente conditione, ſub qua uſusfructus legatus erat: niſi aliud actum inveniatur inter ementem & vendentem *l. ſub conditione 54. ff. de uſufr.* Cæterum ſciendum eſt † prædicta 13
procedere in veris & ſuſpenſivis conditionibus, non etiam in reſolutivis, quæ ſcilicet ex eventu aliquo reſolvunt uſumfructum con-

ſtitutum: hæ enim conditiones non ſuſpendunt actum, neq; faciunt verè conditionalem. Unde rectè Caſtrenſis ſcribit, *conſ. 451. part. 1.* aliud eſſe legatum conditionale, aliud purum ſub conditione reſolvendum, quam differentiam latiſſimè explicat Tiraquellus, *in repet. l. ſi unquam, in verb. revertatur n. 230. C. de Revocand. donat.* Et quod ad rem præſentem attinet, eum effectum habet prædicta differentia, quòd effectus conditionis reſolutivæ non perimat uſumfructum: veluti, ſi uſufructui legato talis inſerta fuerit conditio, donec in furore filius, vel alius remanſerit, *l. Ambiguitatem 12. C. de uſufr.* vel donec compos mentis fiat. *l. generali 32. §. duas filias 6. ff. de uſufr. legat.* Nam tametſi filius in eodem furore in diem mortis ſuæ perſeverans, deceſſerit, manet nihilominus uſusfructus, *d. l. Ambiguitatem 12. & d. l. Generali 32. §. duas filias 6.* Etenim perinde eſt eo caſu, ſi ad vitam uſufructuarii uſusfructus fuiſſet conſtitutus, *d. l.*
14 *Ambiguitatem 12.* Rurſus non procedunt † prædicta in legato uſusfructus ſub modo, aut ob certam cauſam: Nam neq; modus, neq; cauſæ adjectio legatum ſuſpendit, niſi hoc à teſtatore ſit actum, *Alex. conſ. 200. part. 2. l. nec ſemel 12. §. ſi in habitationem 5. Quand. dies legat. ced.* Nunc videamus de uſufructu in diem vel ex die conſtituto. Nam conſtat uſumfructum

& ex

& ex die, & in diem, & ex certo tempore, &
usq; ad certum tempus, relinqui posse, *l. 4. ff. de usufr. l. Et puto 16. §. usufructus 2. ff. fam. hercisc. l. Sempronius Attalus 26. l. uxori 35. ff. de usufr. legat.*
Et cum † ex die legatur usufructus, non ce- 15
dit, nisi cum dies venerit, *l. 1. §. 3. ff. Quand. dies usufr. legat. ced.* & hoc casu si is, cui usufructus relictus est, puta filius aut servus, interim decedat, nihil domino vel patri acquiritur, *l si habitatio 9. ff. Quand. dies legat. ced.* Cum † verò 16
ad diem usufructus legatur, manet, sive persona, de cujus ætate aut utilitate est dispositum, moriatur interim, sivè vivat, *d. l. Ambiguitatem 12. d. l. generali 32. §. duas filias 6.* veluti si relinquatur alicui usufructus in decennium, aut donec filius compos mentis fiat, licet interim filius moriatur, manet nihilominus usufructus, *d. l. Ambiguitatem 12.* finito autem
† usufructu, post tempus usufructui adje- 17
ctum, posterioris temporis fructus perceptos, fructuarius restituit, nisi heres antea in præstando usufructu moram fecerit, *argt. l. si usufructus 35. l. Qui usumfructum 36. §. fin. ff. de usufrct.* Illud quoq; sciendum est, † 18
usumfructum ex die mortis, veluti cum morieris, inutiliter constitui, sive agatur de stipulatione, sive de legato *l. usumfructum cum moriar. 5. ff. de usufr. legat.* quoniam usufructus morte perimitur *§. fin. Inst. de usufr.*

Præterea

19 Præterea ususfructus † constitui potest, vel uni tantùm, vel pluribus: & ab initio pro parte divisâ vel indivisâ. Et cum pluribus constituitur vel cõjunctim vel divisim: quod ad materiam juris accrescendi pertinet, quam priusquam explicemus paucis, videndum est de divisione ususfructus, qui (ut jurisconsul-
20 tus ait) ab initio † pro parte divisâ vel indivisâ constitui potest, *l. usufructus ab initio 5. ff. de usufr.* contra naturam aliarum servitutum, quæ nec separationẽ nec divisionem recipiunt, *l. ut pomum 8. §. si prædium 1. ff. de servitut. l. 1. §. si ususfructus 9. ff. ad l. Falcid.* Cujus differen-
21 tiæ † rationem variam constituunt interpretes. Nam Bartolus & alii *in l. stipulationes non dividuntur 72. ff. de verb. oblig.* existimant, usumfructum per se spectatum, & pro ut est jus utendi non dividi, sed tantùm utilitatem & commoditatem eâ ratione; quia ususfructus respectu utilitatis, quæ inde provenit, commodè dividi potest. Quod secus est in aliis servitutibus, quarum pars nullam utilitatem habere potest: & hanc Bartoli sententiam probat Bartholomæus Socinus, *cons. 68. n. 49. lib. 1.* dum scribit: usumfructum dividi tantum respectu constitutionis, hoc est, executionis & applicationis ad actum: quemadmodum jurisdictio dividi potest per divisionem territorii, vel per subalternationem

tempo-

temporum. Sed hæc ratio † juri non videtur omnino consentanea, ob id, quod jurisconsulti divisionem usus fructus non referant ad nudum factum dividendorum fructuum *d. l. usufructus & ab initio 5. & d. l. 1. §. si usufructus 9.* sed ad ipsum jus utendi fruendi, *juribus præcitatis.* Alii itaq; eam rationem constituunt, quòd usus fructus sit pars dominii, ideoq; dividi possit, sicut ipsum dominium. Sed nec hæc ratio concludere videtur, propterea quòd usus fructus in multis casibus nullam communionem cum dominio habet, *l. Rectè dicimus 25. ff. de verb. signif.* ut alio loco est traditum. Vera autem ratio videtur in eo consistere: quòd ususfructus omnem rei utilitatem & emolumentum omne contineat, sic, ut nullis limitibus necessitatis constringatur; nam inde fit, ut cum nulli certo usui vel necessitati ususfructus subserviat, liberè ab initio dividi. & pro parte divisâ vel indivisâ constitui possit: Quod secus est in aliis servitutibus, quæ necessitatem aspiciunt, & limitatam naturam habent, *l. Ergo 5. in fin. ff. de servit. rustic. prædior.* quæ divisionem non admittit. Necessitas enim † diminutionem vel detractionem non patitur: quia id non est necessarium, quando aliquâ parte amotâ id quod superest, sufficit: Et proinde † in aliis servitutibus propter necessitatem ex qua consti-

22 (beside line 1), 23 (beside "tit. Necessitas enim"), 24 (beside "quod superest")

constituuntur, divisio non admittitur, licet servitutes possint multiplicari, *l. Lucio 4. ff. de aqua quotid. & ästiv.* Ex quibus & illud intelligi potest, † cur uti frui pro parte possimus, uti verò pro parte non possimus. Etenim differentia hæc non procedit ex incertitudine, aut ex eo, quod usus cum realibus servitutibus similitudinem habeat, ut quidam volunt, aut ex verborum significatione, ut putavit Alciatus *in Paradox. lib. 1. c. 17.* sed ex ipsa necessitate & indigentia personæ, ad quam usus restringitur, sicut individuam naturam habeat, inspecto fine suo propinquo & immediato suo objecto relationis. Nec in contrarium facit, † quod Alciatus scribit *d. c. 17.* alimenta personæ necessitatem respicere, & tamen dividi posse *l. 3. in fin. ff. de alim. & cibar. legat.* quoniam alimentorum præfinitio non pendet ex juris dispositione, sicut usus, sed ex testatoris aut contrahentiũ voluntate & conventione.

25

26

De usufructu accrescendo, Cap. X.

SUMMARIA.

1. *Qui dicantur coniuncti.*
2. *Coniunctio quid sit, & quotuplex.*

3. Verbis

3. Verbis coniuncti, re tantùm coniunctis, præferuntur.
4. Hoc in usufructu accrescendo quidam locum habere negant, sed eorum sententia reprobatur.
5. Declaratur l. Idem Neratius. 3. & l. pen. ff. de usufr. accresc.
6. Coniunctio qualiscunq; etiam legalis, ius accrescendi inducit.
7. Locum habet, non solum si duobus usufructus legetur sed & cum uni ususfructus, alteri fundus legatur.
8. Fundi proprietate uni, atq; eidem & Mævio & Seio usufructu legato, Seius & Mævius trientem habebunt, & triens proprietati miscebitur.
9. Iuri accrescendi locus est, si uni purè, alteri sub conditione ususfructus sit relictus.
10. Etiam in extincto & amisso usufructu, ex persona coniuncti, postea ad usumfructum pervenientis.
11. Item in amittente partem suam.
12. Iterdum quoq; inter eos, qui verè coniuncti non sunt.
13. Conciliato l. 1. ¶. 1. ff. de usufr. accresc. cum l. Et Proculo 20. ff. de leg. 2.
14. Etiam post capitis diminutionem, ex repetione, ius accrescendi salvum esse potest.
15. Post quæsitam quoq; portionem: secus atq; in aliis.
16. Variis huius differentiæ rationibus interpretum improbatis, affertur vera.
17. Actus successivi nunquam perfectè consumuntur, sed semper progrediuntur.
18. Ius accrescendi non habet locum, si ususfructus sit ab initio divisus.
19. Si uni genus, alteri species legetur.
20. Vel iudex uni fundum, alteri usumfructū adiudicet.
21. Si ex diversis dispositionibus competat.
22. Item: si is, cuius portio deficit, substitutum habeat.
23. Vel alter ex coniunctis usumfructum iure speciali obtineat.

24. Nec

24. *Necnon: si ex adiectione causa usufructus in cuiuslibet coniuncti persona sit limitatus.*
25. *In contractibus iuri accrescendi non est locus.*
26. *Repetitus videtur usufructus, si alicui, quandiu vivet, vel ad diem certam, legetur.*
27. *Usufructu omnium bonorum, quandiu vidua erit, relicto extantibus liberis alimenta tantùm sit vero mortuis, plenum habebit usumfructum.*
28. *In tempus mortis conferri nequit.*

PRriusquam de jure accrescendi agamus, paucis de conjunctorum materiâ dicendum est. Et quidem conjuncti dicuntur † qui
1 mutuo quodam jure ita junguntur, ut unius loco habeantur: nam conjuncti ad idem vocantur, suntq; unius disjuncti loco. Et est
2 conjunctio rerum † aut personarum quædam connexio & unitas, quæ dividitur in tria genera. Quorum unum est, quod re tantum Alterum quod verbis: Tertium quod re & verbis constat: ex quibus conjuncti re & verbis propter duplicis vinculi potentiã cæteris præferũtur, *l. Re conjuncti 89 l. hujusm. 84. §. quib. ita 12. ff. de legat. 1. l. heredes sine partibus 63. ff de hered. inst tuend.* Sed de iis, qui verbis aut re tantùm conjunguntur, quæstio est, uter alteri præferatur: an videlicet re conjunctus potior sit conjuncto verbis, an in contrariùm? Et licet
3 sint multæ sententiæ, † veriùs tamen videtur, eum qui verbis tantum est conjunctus, illi præferri, qui re tantùm conjungitur: nisi, ut pleriq;

pleriq; volunt, † agatur de usufructu. *Petrus* 4
Loriottus post alios in tract. de conjunctis & disjunctis per l. Idem Neratius 3. & l. pen. ff. de usufr. accresc. in quo existimant, verbalem conjunctionem jus accrescendi non inducere. Sed alii contra sentiunt, *glos. Bart. & alii veteres in l. Triplici 142. ff. de verb. signif. in l. hujusmodi 84. §. quibus 12. ff. de legat. 1.* quorum sententia non videtur improbabilis. Nam si in aliis rebus verbalis conjunctio jus accrescendi habet, ratio non occurrit, cur eam potestatem amittere debeat in usufructu, in quo magis laxata ampliataq; est juris accrescendi materia, quã in ullo alio articulo, *l. 1. § Interdum 3. cum seqq. ff. de usufr. accresc.* Neq; movere videntur † in 5
oppositum Ulpiani & Papiniani responsa *in d. l. Idem Neratius 3. & in d. l. pen.* quoniam intelligi possunt de portionibus certis & separatis, vel incertis, quæ à diversis personis petuntur: sic ut ipsarum partium determinatã separatio, vel personarum diversitas effectum conjunctionis impediat, sicut alio loco de rebus prorsus diversis responsum est, *in d. l. hujusmodi 84. §. quibus 12.* Et quod Ulpianus *in d. l. Idem Neratius 3.* loquatur de portionibus omnino separatis, intelligitur ex præcedenti responso Juliani *in l. si duobus (in aliis est §. 4. l. 1.) ff. de usufr. accresc.* in cujus consequentiam & explicationem Ulpiani responsum subjici-

tur, & quod postea Papinianus scribit, *in d. l. pen.* cùm singulis ab hæredibus ejusdem rei ususfructus legatur, fructuarios separatos videri, non minus, quàm si æquis portionibus duobus ejusdem rei legatus fuisset ususfructus: non incommodè accipi potest de portionibus planè separatis & distinctis, exemplo distinctarum personarum, à quibus in illa specie ususfructus petitur, sicut distinctio separatioq; portionum, sicut personarum aut rerum, impediat jus accrescendi in usufructu, juxta ea quæ scribit Ioannes Corasius, *in l. Testamento 6. C. de Impub. & aliis substit.* Quod secus est ut videtur, quando indivisim, & non omnino separatis portionibus æqualiter duobus in solidum ususfructus relinquitur. Nam hoc casu ab initio ususfructus divisim non est constitutus, sed demum adita hæreditate, dum legatarii concurrunt, separatim unicuiq; constituitur, vel simul uti frui possunt, aut per subalternationem temporum: secus atq; in hæredibus, inter quos ipso jure ab initio ususfructus verè dividitur, in qua specie Julianus *in d. l. si duobus (in quibusdam est §. 4. l. 1.) ff. de usufr. accresc.* & Ulpianus *in d. l. Idem Neratius 3.* loqui videntur. In qua re tamen propter rationes, quibus Neoterici nituntur, calculum configendum non arbitror.

Porro utcunq; sit, in verbali conjun-

ctione

ctione tantùm, certum est in aliis conjunctionibus quo ad usumfructum jus accrescendi patere latissimè. Nam † qualiscunq; sit con- 6
junctio, etiam legalis tantùm, jus accrescendi inducit, & æqualiter conjuncti simul admittuntur. Et † proinde juri accrescendi 7
locus est, si duobus, puta Titio & Mævio conjunctim legetur ususfructus *l. 1. in pr. ff. de usufr. accresc.* Nec interest an per copulam & an per aliam dictionem conjungatur: veluti si legetur uxori cum liberis, *l. si quis Attio 7. & l. si mulieri 8. ff. de usufr. accrescen.* Et non solùm si duobus ususfructus legetur, sed & cùm uni fundus legatur & alteri ususfructus, juri accrescendi locus est: ita ut amittente usumfructum altero, cui ususfructus legatus erat, magis jure accrescendi ad alterum pertineat, quàm redeat ad proprietatem *d. l. Idem Neratius 3. §. non solum 2. l. si tibi decem 6. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.* Nec novum, nam etsi duob⁹ usus fructus legatus est, & apud alterũ consolidatus, non perit jus accrescendi, nec ei, apud quem consolidatus est, *d. §. non solum 2.* Concursus enim in usufructu ab initio ex conjunctione inductus, jus accrescendi inducit, *l. si alii 42. ff. de usufr. d. l. si tibi decem 6.* quandiu in alterutrius persona manent aliquæ pristini ususfructus reliquiæ. Quin † 8
& si tibi proprietas fundi legata sit, mihi au-

tem & Mævio & tibi ejusdem fundi ususfru-ctus, habebimus ego & Mævius trientes in usufructu, & triens proprietati miscebitur: Et sive ego, sive Mævius capite minutus fuerit, portio capitis diminuti inter te & alterutrum nostrum dividatur: quia jus accrescendi etiam ratione solius legalis conjunctionis est inter habentem usumfructum formalem & causalem, *l. si tibi proprietas 4. ff. de usufr. accresc.* Et si is, cui tertia pars ex usufructu competit proprietatem deducto usufructu alinaverit, nihilominus putat Iulianus usumfructum accrescere, *l. Et si tradideris 5. ff. eod.* Idem & si apud unum ex fructuariis ususfructus sit consolidatus, *l. Idem etsi 6. ff. eod.*

Preterea † si ususfructus tibi purè & mihi
9 sub conditione legat⁹ sit, erit juri accrescendi locus, ita ut licet is, cui purè legat⁹ est ususfru-ctus, interim totũm habeat, eveniente tamen conditione, si alter legatarius capite minutus sit, is, cui sub conditione legatus erat ususfru-ct⁹, totũ acquirit: si verò alter in statu suo remaneat, ususfruct⁹ communicabitur, *d. l. Idem*
10 *etsi 6. §. 2.* Unde † intelligitur etiam amissũ & extinctũ usumfructũ vigore juris accrescendi resuscitari in pſona conjuncti postea ad usum fructum pervenientis, sicut pars deficientis quirenti partem suã accrescat. Et Queãdmodũ pars ususfruct⁹ extincti ei, qui postea ex ca-

pite

pite suo venit acquiritur, ita è diverso † interdũ pars usus fructus, etiam jam habenti, sed amittenti partem suã accrescit. Nam si duobus usꝰ fructus fuerit legatus, & alter lite contestata amiserit usum fructũ, mox & collegatarius, qui litem non erat contestatus, usumfructum amiserit, partem dimidiam duntaxat, quam amisit, qui litem contestatus est ab eo, qui liti se obtulit, à possessore consequetur: nam pars collegatarij ipsi accrescit *l. interdum 10 ff. de usufr. accresc. Cujac. lib. obs. 9. c. 11.* cujus decisionis ratio peti potest ex ijs, quæ alio loco diximus *ad l. si post acceptum 18. ff. de Rei Vindic.* de re usucapta pendente judicio. Quin † tam 12
latè patet in usufrctu juris accrescendi materia, ut etiam inter eos interdum obtineat, inter quos nulla verè est conjunctio, veluti si communi servo legatus sit ususfructus: nam altero repudiante ad alterum pertinebit, etiamsi inæquales partes habeant *l. 1. §. 1. ff. de usufr. accresc:* Cui decisioni repugnat † alius 13
locus *in l. & Proculo 20. ff. de Legat: 2.* ubi si servo communi aliquid relictum sit, altero dominorum repudiante alteri nihil accrescit, sed tantùm pars debetur. Pro quorum conciliatione Aurelius *lib. 2. sentent. cap. 24.* existimat, legatùm proprietatis à legao usufructus nihil differre. Et quod ab Ulpiano dicitur, usumfructum communi servo legatum alteri

 domi-

dominorum accrescere speciale esse, & de casu solum procedere, quando uterq; dominorum portionem suam acquisivit, quam postea alter eorum amittit *argt: d. l. 1. §. interdum 3.* Sed ego Aurelio adhærere non ausim, propterea quòd in usufructu inter duos dominos ejusdẽ servi jus accrescendi, locum habere videatur, non solùm post quæsitam portionem, sed etiam & multò magis ante quæsitam portionem, & quod ratio quæ jus accrescendi induxit, post quæsitá portionem etiam militet ante portionem acquisitam: Nam hæc ratio à jurisconsulto assignatur *in d. l. 1. §. 1.* quia personã servi inspicim⁹, cui ususfructus adhæret. Quæ ratio non solũ post quæsitũ usũfructum dominis militat, sed etiam antea, & in solo usu fructu procedit: *l. fin: C. de usufr.* secus verò in alijs rebus, quæ ipso momento temporis ac in puncto acquisitionis transferuntur in dominos, ita ut servi persona amplius non consideretur. Illud quoq; prætermittendum non est,
14 † etiam post amissum usumfructum, capitis diminutione, ex repetitione jus accrescendi salvum esse: veluti Titio & Mævio ususfructus legatus est, & si Titius capite minutus esset, eidem usumfructum legavit testator: quæsitum est, si Titius ex repetitione usumfructũ habeat, an inter eos jus accrescendi salvum esset? & Papinianus scribit salvum esse, perinde

de ac ſi alius Titio in uſufructu eſſet ſubſtitu-t⁹, eos enim tametſi non verbis, re tamen con junctos eſſe: quod intelligendū eſt de toto u-ſufructu accreſcendo, ſi totus ſit repetitus, vel de parte, ſi pars tantùm fuerit repetita *l. 3. §. hac autem repetitio 1. ff. Quib. mod. uſus-fruct. amitt.*

Deniq; tametſi regulariter poſt quæſitas portiones tranſmiſsioni locus ſit, & jus accre-ſcendi ceſſet *l. Qui patri 59. ff. de Acquir: hered.* in uſufructu tamen hoc amplius eſt, ut etiam poſt quæſitam portionem jus accreſcendi ad-mittat; uſusfructus enim in re quapiam con-ſtitutus duobus vel pluribus, accreſcit conſor tij ſive in conſortis perſona à principio non valeat, ſive poſt jus quæſitum ipſe conſors moriatur *d. l. 1. § interdum 3. ff. de uſufr. accreſc.* Quæ eſt ſpecialis diſpoſitio in uſufructu ea ratione inducta, ut ipſe juriſconſultus ait *in d. l. 1. §. interdum 3.* quia uſusfructus conſtitui-tur quotidie & legatur, non ut proprietas eo ſolo tempore, quo vindicatur, & proinde cùm primus non invenit alterum, qui ſibi concur-rat, ſolus utitur in totum. In quorum verbo-rum explicatione magnam difficultatem con ſtituunt interpretes. Accurſius, Azo, & alij i-deo dicunt, uſumfructum conſtitui, quia non aliter inducitur, quàm patientia debitoris quæ multorum dierum eſt, ſic ut nunquam uſusfructus perfectè acquiſitus ſit, ſed quoti- 15

diè perficiatur. Quã explicationẽ ridet Aurelius *l. Sentent. 2. cap. 24. &* retundit ea ratione, quod in usufructu patientia sit loco traditionis, ideoq; sicut traditionẽ semel intervenisse satis est in corporalib⁹, ita quoq; in incorporalib⁹ ut patientia semel præstita sufficiat ad perfectã ususfructus vel alterius servitutis acquisitionẽ, in cujus usu & exercitio si quis postea impediatur, habet competentes actiones *l. 2. ff. si servit. vindic.* propter servitutem semel acquisitam, quæ non nisi longi temporis possessione amitti potest *l. fin. in fin. C. de præscript. long. temp.* Vnde ipse hanc rationẽ constituit, quod usufructus personæ cohæreat, nec ultra id tempus, quo persona consistit, extendi possit, ideoq; ei inesse hanc conditionem, si fructuarius vivat, ita ut quovis die videatur
56 cedere usufructus. Sed † hæc sententia rectè excussa planè erronea est, & apertis textibus contraria. Nam usufructus nulla conditione suspenditur, sed eventu conditionis solutivæ, quæ non suspendit actũ, resolvitur, eoq; nomine differt à legato in annos singulos facto *l. si in singulos annos 4. ff. de Annu: legat.* Et præterea aperto jure constitutum est, usũfructum, quamvis in fruendo consistat, semel tantum cedere *l. 1. ff. Qando dies leg. usufr. ced.* sic ut longè infirmior sit & majoribus erroribus subjaceat Aurelij sententia corrigentis,

tis, quàm Accursij Azonis & aliorum, quos ille suo novo intellectu conatur prosternere. Nec tamen in omnibus Accursij, Azonis & aliorum explicatio in hoc atticulo amplectenda est, sed vera ratio (quam quadantenus Accursius & alij aspexerunt, licet non explicarint) est in eo constituenda: quod ususfructus in fruendo consistat, id est, in facto successivo *d. l. 1. ff. quand. dies ususfr. leg. ced.* quod ad sui substantiam requirit successionem temporis & continuationem fruitionis, ob quam successivi actus naturam rectè dicitur ususfructus quotidiè constitui & legari. Nam conditio 17
eorum actuum successivorum ea est, ut nunquã perfectè consistant & consumentur, sed semper progrediendo primam causam suam aspiciant, ex ea dependeant, & vires habeant, perinde ac si quotidiè causa eorum renovaretur, ut copiosiùs intelligi potest ex scriptis Andreæ Tiraquelli *in tract. de Causa cessante: limitat: 23. n. 3. & 9.*

Nunc ususfructus accrescendi materiam multis modis ampliatam ostendamus restrictiones & limitationes aliquot recipere. Ex quibus prima † & præcipua est: Si ab initio 18
ususfructus fuerit divisus, veluti si separatim duobus pars aliqua relinquatur *l. 1. in pr. ff. de usufr. accresc.* vel si duobus heredibus institutis proprietas deducto usufructu legata sit *l. si*

F 5 duobus

duobus (in quibusdam est l. 1. §. 4. cum seqq.) ff. eod. vel cum singulis ab hæredibus singulis ejusdem rei ususfructus legatur: nã fructuarij eo casu separati videntur non minus, quàm si æquis portionibus duobus ejusdem rei legatus fuisset usufructus *l. cum singulis 11. ff. de usufruct. accresc.* quia alius ab alio hærede usumfructum vindicat *l. fin. ff. eod.* Secunda limitatio † est, quando uni genus, alteri species legatur: veluti si uni usufructus fundi, alteri omnium bonorum usufructus legetur. nam hi non sunt conjuncti, cùm legatum speciei non contineatur in genere *l. uxorem 41. §. Felicissimo. 3. ff. de leg. 3.* Tertia † est, si judex uni fundum, alteri usumfructum adjudicet, non concurrunt: quia cùm judex adeatur non ut communicet, sed ut dividendo communionem dissolvat *l. Et puto 16. §. julianus 1. ff. Famil. hercisc.* nulla ex hoc actu inducitur communio *l. ut fundus 18. ff. communi diuid.* Quartá † si ex diversis dispositionibus plures admittantur; veluti si unus sit institutus in omnibus, alij verò legatus sit usufructus omnium bonorum *l. fin. §. similiq; modo 2. C. d. bon. qua lib. &c.* Vel si usufructu sub conditione legato hæres eum interim legaverit, & postea existente conditione primi usufructuarij ipse moriatur, usufructus non revertitur ad eum, cui ab hærede usufructus legatus erat: quia ex diversis testamentis jus con-

conjunctionis non contingit *l. ſi ſub conditione 16. ff. Quibus modis uſusfr. amitt.* Quinta † ſi is cujus portio deficit ſubſtitutum habeat: nam & in hæreditatibus & in legatis & in uſufructu & alijs quibuscùnq; diſpoſitionibus ad ſubſtitutum primum, poſt hunc ad conjunctum, pars deficiens defertur: quod ſi neq; ſubſtitutus, neq; conjunctus ullus ſit, apud eum, à quo relicta ſunt, deficientia remanent, ſive is ſit hæres, ſive alius *l. unic. C. de caduc. toll.* 22
Sexta † quoties alter conjunctus jure ſpeciali capit: veluti ſi mulieri & Titio, ſi non nupſerit mulier, uſusfructus ſit relictus mulieri, nuptæ dimidiatus tantum uſusfructus debetur, & jus accreſcendi ceſſat: quia mulier contra voluntatem defuncti venit jure ſpeciali *l. Mulieri & Titio 74. ff. de condit. & demonſt.* Septima † ſi ex adjectione cauſæ uſusfructus in cujuslibet perſona ſit limitatus: veluti ſi ob alimenta libertis uſusfructus ſit relictus: nam cùm reliqui habeant alimenta deficiens portio non reliquis collegatariis, ſed proprietati accreſcit *l. Dominus 54. in fin. ff. de uſufr.* Octava, quoties agitur de ſola conjunctione verbali, ex quorundam ſententia, quam dubito an amplecti conveniat, propterea quòd in omnibus alijs ſpeciebus verbalis conjunctio jus accreſcendi regulariter habeat, & quod in uſufructu juris accreſcendi 23 24

regula

regula pateat latissimè, & deniq; quòd responsa, quibus sententia illa confirmatur, aliam interpretationem possint admittere, ut superiùs ad principium huius capitis est expositum. Vltima limitatio est: quod in † contractibus jus accrescendi cesset, idq; in stipulatione difficultatem habere non videtur: quia quot sunt personæ, tot sunt stipulationes *l. Eandem 9. in fin. ff. de duob. reis, &c.* in emptione verò & alijs contractibus magnum est dubium, præsertim quando unum ideinq; est pretium, vel quando res ipsa est inseparabilis: quod alio loco fusiùs declarabitur *in l. fundus ille 64. ff. de contrab. Empt.*

25

26 Novissimè subticendū non est † quòd sicut in annos singulos legari potest ususfructus, ita & capitis diminutione amissus legari potest, ut scilicet adjiciatur, quoties quis capite minutus fuerit, do, lego, vel sic, quoties amissus erit, & tunc si capitis diminutione amittatur, repetitus videbitur, perinde ac si in annos singulos legatus esset *lib. 3. ff. Quib. mod. ususfr. amit: l. in singulos annos. 8. ff. de ann. legat:* Vnde tractatum est: Si cui quandiu vivet legatus sit ususfructus, an repetitus videatur? quod post Mæcianum Ulpianus affirmat *in d. l. 3.* Idem esse asserens, si usq; ad certum diem, puta ad decennium ususfructus sit legatus. unde eleganter Bartolus annotavit *in d. l. 3.*

Quod

Quod † si legatus sit usus fructus omnium bonorum uxori, quamdiu erit vidua, extantibus liberis alimenta tantùm habebit, sed si liberi postea decedant, recipiet plenum usumfructum propter repetitionis potentiam: quod magnifaciendum est. Repeti † autem potest usus fructus quomodocunq; amissus, & qualicunq; ratione repetitio admittitur, dummodo non morte. Nam cum mors omnia dissolvat, fieri non potest, ut post mortem ipsius fructuarii usus fructus repetatur: nisi fortè testator heredibus eius illum legaverit *l. Repeti. §. ff. Quib. mod. usufr. amit.* Veluti si tibi heredíq; tuo usus fructus legetur: Sed hoc casu propriè non repetitur usus fructus, sed potius novus constituitur. 27 28

Quibus & à quibus usus fructus posit constitui, Cap. XI.

SVMMARIA.

1. *Qui vult usumfructum constituere, hunc prædium vel fundum habere oportet.*
2. *Fundum cum alio communem habens, usumfructum eius concedere potest.*
3. *Idem potest nudæ proprietatis dominus.*
4. *Acquiritur aut per nosmet ipsos, aut per eos, qui iuri nostro sunt subiecti.*
5. *Hereditario servo relinqui potest, licet is illum inutiliter stipuletur: & quæ sit diversitatis ratio?*

6. Filius

6. *Filius vel servus, cui ususfructus relictus est, si ante aditam hæreditatem moriatur, domino vel patri eum non relinquit.*
7. *L. fin: C. de usufr: explicatur.*
8. *Patri per filium-familiás acquisitus non perit, per filii emancipationem vel mortem, ut nec filio per mortem patris.*
9. *Constitui potest, municipibus, ecclesiis, collegiis, & monasteriis, &c.*

IS qui fundum habet, quamvis usumfructum non habeat, potest tamen usumfructum constituere *l. quod nostrum 63 ff. de usufr.* Licet enim usumfructum seorsim & separatim à proprietate non habeamus, habemus tamen illum conjunctum cum ipsa proprietate: Ideóq; in nostra potestate est eum separare & alteri concedere *d. l. quod nostrum 63.* Cæterum † necessarium est, eum qui vult usumfructum
1 constituere, habere fundum, prædium vel aliam rem quamlibet, in qua ususfructus constituatur, quam si habet, non interest an jure directo an utiliter habeat *l. 1. ff commu: præd: l. 3. §. pen. ff. de Nov. oper. nunc. l. 1. ff. Si ager vectig. pet* Præterea † usumfructum rectè constituit
2 non solùm qui prædium in solidum sibi habet, sed & is cui fundus cum alio communis est: nam quamvis unus ex dominis servitutem prædialem imponere non possit *l. 2. ff. de Servit. l. unus ex sociis 34. ff. de servit. rustic: præd.* is tamen qui fundum tecum communem habet, usum-

usumfructum fundi solus, legare rectè potest *l. is qui fundum 31. ff de usufr. legat*: Cuius differentiæ ratio in eo consistere videtur, quòd divisionem recipiat usus fructus, quam aliæ servitutes non admittunt, & præterea, quia ususfructus personæ, servitutes non personæ debentur, sed prædio. Potest † quoq; usus- fructus ab eo constitui, qui est nudæ proprietatis dominus, ut scilicet fructuarius utatur fruatùrq;, quando ad proprietatem reversus erit ususfructus *l. si dominus nudæ proprietatis 72. de usufr.* Acquiritur † autem ususfructus non 4 solùm per nosmet ipsos, sed eas personas, quas juri nostro subjectas habemus. Unde filio vel servo rectè relinqui potest *l. ususfructus pluribus 6. § acquiritur. 2. ff. de usufr. l. Servus communis 5. ff. de stipul. servor.* Nihil enim vetat, inquit jurisconsultus, servo meo hærede instituto legari proprietatem deducto usufructu, ut sic ususfructus apud servum meum hæredem institutum remaneat *d. l. ususfructus pluribus modis 6. §. nihil autem 3.* Nec † solùm servo 5 dominum habenti, sed & hæreditario servo ususfructus relinqui potest. Nam quamvis servus hæreditarius usumfructum, qui sine persona esse non potest, inutiliter stipuletur, etiam sub conditione: legari tamen illi potest ususfructus ob id, quòd ususfructus etiam purè legati dies non cedat, nisi aditâ hæreditate.

tate

tâ hereditate *l. unic:* §. *dies autem 2. ff. quand. dies usuf. legat. ced.* Stipulatio verò, quæ pura est, suspendi non potest; sub conditione concepta ex præsenti vires accipit, quamvis petitio ex ea sit suspensa *l. usufructus 26. ff. de stipul.*
6 *Servor.* Cæterum † si ante aditam hereditatem servus aut filius, cui ususfructus vel habitatio est legata, discesserit, nihil ad dominum vel patrem pertinet *l. si habitatio 9. l. cum ita 16. §. cum servo 1. ff. Quand. dies legat. ced.* Vnde eleganter de usufructu servo hereditario relicto Iulianus scribit, quamvis cætera legata hereditati acquirantur, in usufructu tamen personam domini expectari, quæ uti frui posit *d. l. unic.* § *dies autem 2. ff. Quand. dies legat. usufr. ced.* & quod de usufructu dicimus, procedit quoq; in usu & habitatione: quia omnia hæc sunt personalia *l. si quis unas 32. ff. de usufr. d. l. si habitatio 9.*

Sed inter antiquam prudentiam dissensio incidit, si per servum ususfructus domino sit acquisitus, & ex quibusdam casibus, qui multi incidere possunt, pars hujusmodi servi ad alium pervenerit, an is ususfructus apud priorem dominum remaneat, an totus tollatur, vel ex parte diminuatur, & ex parte apud eum
7 resideat? Et † super hac dubitatione tres vertebantur sententiæ. Una erat, quod ex particulari servi alienatione totus ususfructus dimi-

nuatur. Altera verò pro ea parte tantùm, qua servus alienabatur, diminutionem usufructus admittebat. Tertia definiebat partem quidem servi alienari posse, usumfructum autem totum apud eum remanere, qui antea servum in solidum habebat. Et in novissima sententia fuit summus juris scientiæ author Salvius Julianus, quem secutus Justinianus statuit, tametsi pars servi alienetur, non tamen imminui usumfructum domino semel acquisitum. Nam licet in acquirendo usufructu, id est, in principio dum acquiritur ususfructus, servi persona consideretur *l. 1. §. deniq; 1. ff. de usufructu accresc.* in amittendo tamen usufructu servi personam non consideramus, ita ut sive alienetur sive moriatur servus, ususfructus per eum semel acquisitus domino, semper apud dominum remaneat *l. fin. C. de usufr.* Idemq; est in usufructu per filium, familiâs patri acquisito *d. l. fin.* Nam naturali ratione faciliùs impeditur acquisitio futura, quàm præterita resolvi possit. Et prætereà in utendo ac fruendo magis domini & patris personam inspicimus, quàm servi vel filii familiâs: usq; adeò, ut servus hereditarius, quamvis cætera legata hereditati acquirat, in usufructu tamen domini persona expectanda sit, quæ uti frui possit *d. l. unic. §. dies autem 2.*

ff. quand. dies legat. ususfr. ced. l. si servo 18. ff. quib.
8 *mod. ususfruct. amitt.* Præterea † quia in mentionem patris & filii-familiâs incidimus, observare convenit, quòd quemadmodum ususfructus per filium-familiâs acquisitus patri non perit per mortem vel emancipationem filii; ita è contrario moriente patre ususfructus filio-familiâs salvus est *d. l. fin: C. de usufr.* nam ususfructus hoc modo constitutus ad utriusq; vitam extenditur ex Justiniani con-
9 stitutione *in d. l. fin.* Novissimè † civitati quoq; Reipublicæ, municipibus & consequenter ecclesiis, collegiis & monasteriis ususfructus potest constitui *l. An ususfructus 56. ff. de usufr. l. si ususfructus mancipibus 8. l. quidam prædia 17. ff. de usufr. legat.* De quo genere ususfructus & quomodo finiatur alio loco dicemus *in postremo capite. Quomodo finiatur ususfructus.*

In quibus rebus posſit constitui ususfructus. Cap. XII.

SVMMARIA.

1. *Omnium rerum, fruitionem recipientium, ususfructum constitui potest, etiamsi nullum vel exiguum habeant emolumentum.*
2. *Infantis, furiosi, ægroti, nec non sterilis fundi, ususfructus esse potest.*

3. *Exte-*

3. *Excipiuntur res, quæ usu consumuntur, & quænam illæ sunt.*
4. *Cur pecunia his rebus annumeretur ratio vera.*
5. *Beneficio tamen Senatusconsulti earum usufructus constitui potest: & quale illud sit.*
6. *L. Si vini 7. ff. de usufr. earum rer. quæ usu consum. & §. constituitur 2. inst. de usufr invicem declarantur.*
7. *Quatuor sunt genera bonorum, ex iis primum est immobilium.*
8. *Secundum, mobilium.*
9. *Tertium: Eorum, quæ usu consumuntur.*
10. *Quartum genus usu quidem non consumitur: assidua tamen contrectatione minuitur.*
11. *Duorum priorum verus est usufructus, posteriorum duorum non item, licet inter ea sit quædam differentia, & qualis illa sit.*
12. *Varia interpretum expositiones ad conciliandum §. constituitur 2. inst. de usufruct. cum l. Sed etsi quid in §. etsi vestimentorum 4. ff. eod.*
13. *Reiectis iis, vera affertur.*
14. *In rebus, quæ usu consumuntur, appellatione usus continetur usufructus, eiusq́ ratio.*
15. *Constituitur usufructus vel omnium bonorum, vel certarum rerum: & quæ sit inter hæc differentia.*

Constituitur, inquit Iustinianus *in § constituitur 2. inst. de usufr.* ususfructus non tantùm in fundo & ædibus: verùm etiam in servis & jumentis & cæteris reb⁹ exceptis iis quæ usu consumuntur. Quod † & Paulus jurisconsult⁹ indicat, dum scribit *lib. sen. 3. c. 9.* generaliter earũ rerum omnium, quarum natura fruitioni 1

accommodata eſt, uſumfructum conſtitui poſſe, ita ut nihil excipiatur, quin uſumfructum admittat, etiamſi nullum vel exiguum emolumentum habeat: ut ſunt imagines, picturæ, & prædia, quibus magis impendimus, quàm fructum inde recipimus: Quin †
2 & infantis & furioſi & ægroti uſusfructus poteſt conſtitui *l. ſtatua 41. l. arboribus 12. §. de illo. 3. l. ſi infantis 55. ff. de uſufr.* Nam infans poteſt adoleſcere, furioſus ad mentem redire, & ægrotus ad ſanitatem pervenire. Quod idem quoq; eſt in prædio inutili & ſterili, ſi modò aliqua ſpes ſit in futurum fructus percipiendi: adeò ut facultas conſtituendi uſumfructum ſit ampliſsima, non ſolùm formularum ſeu modorum reſpectu, ſed etiam reſpectu ipſarum rerum, in quibus conſtituitur. Nam omnes res uſufructum recipiunt, ut dictum eſt;
3 exceptis iis † quæ uſu conſumuntur: nam hæ neq; naturali neq; civili ratione recipiunt uſumfructum: ut ſunt vinum, frumentum, oleum, pecunia numerata & ſimilia, quibus uti non poſſumus abſq; conſumptione & peremptione ſubſtantiæ *d. §. conſtituit. 2.* Nam illius conditionis & naturæ hæ res ſunt, ut uſum non admittant, ſed tantùm abuſū & conſumptionem. Pecunia † enim uti non poſſumus,
4 ut inquit Ariſtoteles *in Politicis*, niſi conſu-

men-

nendo, id est, expendendo, permutando, & ransferendo in aliũ: quæ vera est ratio, quare pecunia numerata iis rebus comparetur, quæ usu consumuntur, & non ea, quam vulgo interpretes afferunt, quod assiduo usu atteratur. Eodem modo vinum, oleum & frumentum, usum & fruitionem non admittit, sed solùm consumptionem & abusum, qui naturæ ususfructus est contrarius *l. 1. ff. de usuf.*
Utilitatis † causa tamen, & ad amplificandam commerciorum facultatem inter homines, senatus censuit, posse etiam earum rerum usumfructum constitui *l. 1. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consf.* sic ut Senatusconsulti beneficio remedium inductum sit, quo quasi ususfructus earum rerum constitueretur, verus enim constitui non potest, propter naturalem rationem repugnantem *l. 2. §. 1. ff. d. t. d. §. constituitur. 2.* Remedium autem Senatusconsulti sic est proditum, ut usufructuarius harum rerum heredi caveat, de reddendis ejusdem quantitatis rebus, vel iis æstimatis de certa pecunia: quod commodiùs judicat jurisconsultus *in l. si vini 7. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.* Unde † pleriq; putant, *Bald. in d. l. si vini. 7.* Jurisconsultum *in d. l si vini. 7.* verbo commodiùs injecto, eripuisse fructuario eligendi facultatem, idq; probabilitatem accipit ex eo, quod 5 6

Iuſtinianus in inſtitutionibus *in d. §. conſtituitur* 2. tantùm æſtimationis meminerit, & quod nullo alio loco de facultate reſtituendi alias res ejuſdem qualitatis expreſſum ſit. Sed verius eſt Iuriſconſultum per adjectionem verbi commodius non conſtituere aut corrigere priora, ſed ſuadere tantùm commodiùs eſſe de æſtimatione caveri, quàm de rebus ejuſdem qualitatis, circa quas frequentiores oriuntur lites: ita tamen ut maneat fructuario facultas eligendi cautionem æſtimationis, vel rerum ejuſdem qualitatis, de quo pleniùs alio loco dicemus. Et quòd à Iuſtiniano mentio rerum ejuſdem qualitatis omiſſa eſt, admirationem non habet, ob id, quod Iuſtinianus in inſtitutionibus tantùm ſumma rerum capita attigit, quo imbecillitati adoleſcentium conſuleret, & prima quædam fundamenta ſtrueret eruditionis legitimæ, quæ plenior fieret ex ipſis fontibus Pandectarum.

Cæterum cùm diverſa ſit ratio & cautio rerum quæ uſu conſumuntur, & earum quarum ſubſtantia ſalva manet: operæ-pretium eſt eas paulò exactius diſtinguere. In qua re ſciendum
7 dum eſt † bonorum genera quatuor eſſe: unum immobilium, quæ uſu non depereunt, nec minuuntur, ut ſunt, prædia, fundi, ædes.
8 Alterum † contrà mobilium, quorum ea natura eſt ut utendo nihil illis decedat ſecundû civi-

ivilem rationem, ut sunt aurum vel argentū, cyphi, gemmæ, annuli, numismata, servi, boves, equi & similia; nam ex his quæ sunt inanimata suo proprio robore stant inconcussa: animata verò abdita quædam naturæ vis conficit, nunc è vestigio, nunc paulo serius, ideoq; nihil momenti habet in eis usus, propter priorem causam naturalem, quæ prævalet usui ex accidente tantùm detrimentum aliquod adferenti *l. qui habet 3. ff. de tutel.* Tertiū genus † eorum est, quæ usus ipse consumit & perimit, ut 9
sunt oleum, triticum, vinū, pecunia, lana, pannus ad vestes conficiendas *l. si lanæ 11. ff. de usuf. ear. rer. quæ usu consum.* Quartum † genus est etiam mobiliū, quib⁹ paulatim decedit aliquid 10
ex usu, quæq; minuuntur assidua contrectatione, non tamen consumuntur nec perimuntur statim, qualia sunt vestimenta *l. lex quæ tutores 22. circ. fin. C. de administ. tut. Extravagans Ad conditorem in pr. & §. quod autem de verbor. signif. in vers. vestimentis*, culcitræ, tapeta, mensæ, dolia atq; alia his similia. In duob⁹ primis † generibus re- 11
rū proprius & verus est usufructus: in duob⁹ posteriorib⁹ impropri⁹: cū ea tamen differentia, quod res tertii generis usu consumūtur, illæ verò, quæ sunt quarti generis, usu minuūtur tantùm & ad utranq; speciē respicit rubrica Pandectarū, de usufructu earum rerū, quæ usu consumuntur vel minuuntur, sed in progressu

duobus (in quibusdam est l. 1.§. 4. cum seqq.) ff. eod. vel cum singulis ab hæredibus singulis ejusdem rei ususfructus legatur: nã fructuarij eo casu separati videntur non minus, quàm si æquis portionibus duobus ejusdem rei legatus fuisset ususfructus *l. cum singulis 11. ff. de usufruct. accresc.* quia alius ab alio hærede usumfructum vindicat *l. fin. ff. eod.* Secunda limitatio †
19 est, quando uni genus, alteri species legatur: veluti si uni ususfructus fundi, alteri omnium bonorum ususfructus legetur. nam hi non sunt conjuncti, cùm legatum speciei non contineatur in genere *l. uxorem 41. §. Felicissimo. 3. ff. de*
20 *leg. 3.* Tertia † est, si judex uni fundum, alteri usumfructum adjudicet, non concurrunt: quia cùm judex adeatur non ut communicet, sed ut dividendo communionem dissolvat *l. Et puto 16. §. julianus 1. ff. Famil. hercisc.* nulla ex hoc actu inducitur communio *l. ut fundus 18. ff.*
21 *communi diuid.* Quartà † si ex diversis dispositionibus plures admittantur: veluti si unus sit institutus in omnibus, alij verò legatus sit ususfructus omnium bonorum *l. fin. §. similiq; modo 2. C. d. bon. quæ lib. &c.* Vel si usufructu sub conditione legato hæres eum interim legaverit, & postea existente conditione primi usufructuarij ipse moriatur, ususfructus non revertitur ad eum, cui ab hærede ususfructus legatus erat: quia ex diversis testamentis jus con-

conjunctionis non contingit *l. si sub conditione 16. ff. Quibus modis usufr. amitt.* Quinta † si is cu- 22
jus portio deficit substitutum habeat: nam & in hæreditatibus & in legatis & in usufructu & alijs quibuscùnq; dispositionibus ad substitutum primum, post hunc ad conjunctum, pars deficiens defertur: quod si neq; substitutus, neq; conjunctus ullus sit, apud eum, à quo relicta sunt, deficientia remanent, sive is sit hæres, sive alius *l. unic. C. de caduc. toll.* Sexta † quoties alter conjunctus jure speciali 23
capit: veluti si mulieri & Titio, si non nupserit mulier, usufructus sit relictus mulieri, nuptæ dimidiatus tantum usus fructus debetur, & jus accrescendi cessat: quia mulier contra voluntatem defuncti venit jure speciali *l. Mulieri & Titio 74. ff. de condit. & demonst.* Septima 24
† si ex adjectione causæ usus fructus in cujuslibet persona sit limitatus: veluti si ob alimenta libertis usus fructus sit relictus: nam cùm reliqui habeant alimenta deficiens portio non reliquis collegatariis, sed proprietati accrescit *l. Dominus 54. in fin. ff. de usufr.* Octava, quoties agitur de sola conjunctione verbali, ex quorundam sententia, quam dubito an amplecti conveniat, propterea quòd in omnibus alijs speciebus verbalis conjunctio jus accrescendi reguläriter habeat, & quod in usufructu juris accrescendi

regula

regula pateat latissimè, & deniq; quòd responsa, quibus sententia illa confirmatur, aliam interpretationem possint admittere, ut superiùs ad principium huius capitis est ex-
25 positum. Vltima limitatio est: quod in † contractibus jus accrescendi cesset, idq; in stipulatione difficultatem habere non videtur: quia quot sunt personæ, tot sunt stipulationes *l. Eandem 9. in fin. ff. de duob. reis, &c.* in emptione verò & alijs contractibus magnum est dubium, præsertim quando unum idemq; est pretium, vel quando res ipsa est inseparabilis: quod alio loco fusiùs declarabitur *in l. fundus ille 64. ff. de contrah. Empt.*

26 Novissimè subticendū non est † quòd sicut in annos singulos legari potest ususfructus, ita & capitis diminutione amissus legari potest, ut scilicet adjiciatur, quoties quis capite minutus fuerit, do, lego, vel sic, quoties amissus erit, & tunc si capitis diminutione amittatur, repetitus videbitur, perinde ac si in annos singulos legatus esset *lib. 3. ff. Quib. mod. ususfr. amit: l. in singulos annos. 8. ff. de ann. legat:* Vnde tractatum est: Si cui quandiu vivet legatus sit ususfructus, an repetitus videatur? quod post Mæcianum Ulpianus affirmat *in d. l. 3.* Idem esse asserens, si usq; ad certum diem, puta ad decennium ususfructus sit legatus. unde eleganter Bartolus annotavit *in d. l. 3.*

Quod

Quod † si legatus sit usufructus omnium bonorum uxori, quandiu erit vidua, extantibus liberis alimenta tantùm habebit, sed si liberi postea decedant, recipiet plenum usumfructum propter repetitionis potentiam: quod magnifaciendum est. Repeti † autem potest usufructus quomodocunq; amissus, & qualicunq; ratione repetitio admittitur, dummodo non morte. Nam cum mors omnia dissolvat, fieri non potest, ut post mortem ipsius fructuarii usufructus repetatur: nisi fortè testator heredibus eius illum legaverit *l. Repeti. §. ff. Quib. mod. usufr. amit.* Veluti si tibi herediq; tuo usufructus legetur: Sed hoc casu propriè non repetitur usufructus, sed potius novus constituitur. 27 28

Quibus & à quibus usufructus posit constitui, Cap. XI.

SVMMARIA.

1. *Qui vult usumfructum constituere, hunc prædium vel fundum habere oportet.*
2. *Fundum cum alio communem habens, usumfructum eius concedere potest.*
3. *Idem potest nudæ proprietatis dominus.*
4. *Acquiritur aut per nosmet ipsos, aut per eos, qui iuri nostro sunt subiecti.*
5. *Hereditario servo relinqui potest, licet is illum inutiliter stipuletur: & quæ sit diversitatis ratio?*

6. *Filius*

6. *Filius vel servus, cui usufructus relictus est, si ante aditam hereditatem moriatur, domino vel patri eum non relinquit.*
7. *L. fin: C. de usufr: explicatur.*
8. *Patri per filium-familiâs acquisitus non perit per filii emancipationem vel mortem, ut nec filio per mortem patris.*
9. *Constitui potest, municipibus, ecclesiis, collegiis, & monasteriis, &c.*

IS qui fundum habet, quamvis usumfructum non habeat, potest tamen usumfructum constituere *l. quod nostrum 63 ff. de usufr.* Licet enim usumfructum seorsim & separatim à proprietate non habeamus, habemus tamen illum conjunctum cum ipsa proprietate: Ideóq; in nostra potestate est eum separare & alteri concedere *d. l. quod nostrum 63.* Cæterum † necessarium est, eum qui vult usumfructum
1 constituere, habere fundum, prædium vel aliam rem quamlibet, in qua ususfructus constituatur, quam si habet, non interest an jure directo an utiliter habeat *l. 1. ff commu: præd: l. 3. §. pen. ff. de Nov. oper. nunc. l. 1. ff. Si ager vectig. pet* Præterea † usumfructum rectè constituit
2 non solùm qui prædium in solidum sibi habet, sed & is cui fundus cum alio communis est: nam quamvis unus ex dominis servitutem prædialem imponere non possit *l. 2. ff. de Servit. l. unus ex sociis 34. ff. de servit. rustic: præd.* is tamen qui fundum tecum communem habet,

usum-

usumfructum fundi solus, legare rectè potest *l. is qui fundum 31. ff de usufr. legat*: Cuius differentiæ ratio in eo consistere videtur, quòd divisionem recipiat usus fructus, quam aliæ servitutes non admittunt, & præterea, quia usus fructus personæ, servitutes non personæ debentur, sed prædio. Potest † quoq; usus fructus ab eo constitui, qui est nudæ proprietatis dominus, ut scilicet fructuarius utatur fruatùrq;, quando ad proprietatem reversus erit ûsus fructus *l. si dominus nudæ proprietatis 72. de usufr.* Acquiritur † autem usus fructus non solùm per nosmet ipsos, sed eas personas, quas juri nostro subjectas habemus. Unde filio vel servo rectè relinqui potest *l. usus fructus pluribus 6. § acquiritur. 2. ff. de usufr. l. Servus communis 5. ff. de stipul. servor.* Nihil enim vetat, inquit jurisconsultus, servo meo hærede instituto legari proprietatem deducto usufructu, ut sic usus fructus apud servum meum hæredem institutum remaneat *d. l. usus fructus pluribus modis 6. §. nihil autem 3.* Nec † solùm servo dominum habenti, sed & hæreditario servo usus fructus relinqui potest. Nam quamvis servus hæreditarius usumfructum, qui sine persona esse non potest, inutiliter stipuletur, etiam sub conditione: legari tamen illi potest usus fructus ob id, quòd usus fructus etiam purè legati dies non cedat, nisi aditâ hæreditate.

tâ hereditate *l. unic:* §. *dies autem 2. ff. quand. dies usuf. legat. ced.* Stipulatio verò, quæ pura est, suspendi non potest; sub conditione concepta ex præsenti vires accipit, quamvis petitio ex ea sit suspensa *l. usiusfructus 26. ff. de stipul. Servor.* Cæterum † si ante aditam hereditatem servus aut filius, cui ususfructus vel habitatio est legata, discesserit, nihil ad dominum vel patrem pertinet *l. si habitatio 9. l. cum ita 16. §. cum servo 1. ff. Quand. dies legat. ced.* Vnde eleganter de usufructu servo hereditario relicto Iulianus scribit, quamvis cætera legata hereditati acquirantur, in usufructu tamen personam domini expectari, quæ uti frui possit *d. l. unic. § dies autem 2. ff. Quand. dies legat. usufr. ced.* & quod de usufructu dicimus, procedit quoq; in usu & habitatione: quia omnia hæc sunt personalia *l. si quis unas 32. ff. de usufr. d. l. si habitatio 9.*

6

Sed inter antiquam prudentiam dissensio incidit, si per servum ususfructus domino sit acquisitus, & ex quibusdam casibus, qui multi incidere possunt, pars hujusmodi servi ad alium pervenerit, an is ususfructus apud priorem dominum remaneat, an totus tollatur, vel ex parte diminuatur, & ex parte apud eum
7 resideat? Et † super hac dubitatione tres vertebantur sententiæ. Una erat, quod ex particulari servi alienatione totus ususfructus dimi-

nuatur. Altera verò pro ea parte tantùm, qua servus alienabatur, diminutionem usufructus admittebat. Tertia definiebat partem quidem servi alienari posse, usumfructum autem totum apud eum remanere, qui antea servum in solidum habebat. Et in novissima sententia fuit summus juris scientiæ author Salvius Julianus, quem secutus Justinianus statuit, tametsi pars servi alienetur, non tamen imminui usumfructum domino semel acquisitum. Nam licet in acquirendo usufructu, id est, in principio dum acquiritur ususfructus, servi persona consideretur *l. 1. §. denique 1. ff. de usufructu accresc.* in amittendo tamen usufructu servi personam non consideramus, ita ut sive alienetur sive moriatur servus, ususfructus per eum semel acquisitus domino, semper apud dominum remaneat *l. fin. C. de usufr.* Idemq; est in usufructu per filium, familiâs patri acquisito *d. l. fin.* Nam naturali ratione faciliùs impeditur acquisitio futura, quàm præterita resolvi posśit. Et præterea in utendo ac fruendo magis domini & patris personam inspicimus, quàm servi vel filii familiâs: usq; adeò, ut servus hereditarius, quamvis cætera legata hereditati acquirat, in usufructu tamen domini persona expectanda sit, quæ uti frui posśit *d. l. unic. §. dies autem 2.*

ff. quand. dies legat. usufr. ced. l. si servo 18. ff. quib. mod. usufruct. amit. Præterea † quia in mentionem patris & filii-familiâs incidimus, observare convenit, quòd quemadmodum ususfructus per filium-familiâs acquisitus patri non perit per mortem vel emancipationem filii: ita è contrario moriente patre ususfructus filio-familias salvus est *d. l. fin: C. de usufr.* nam ususfructus hoc modo constitutus ad utriusq; vitam extenditur ex Justiniani constitutione *in d. l. fin.* Novissimè † civitati quoq;, Reipublicæ, municipibus & consequenter ecclesiis, collegiis & monasteriis ususfructus potest constitui *l. An ususfructus 56. ff. de usufr. l. si ususfructus mancipibus* 8. *l. quidam prædia 17. ff. de usufr. legat.* De quo genere ususfructus & quomodo finiatur alio, loco dicemus *in postremo capite. Quomodo finiatur ususfructus.*

8

9

In quibus rebus possit constitui ususfructus. Cap. XII.

SVMMARIA.

1. *Omnium rerum, fruitionem recipientium, ususfructum constitui potest, etiamsi nullum vel exiguum habeant emolumentum.*
2. *Infantis, furiosi, ægroti, nec non sterilis fundi, ususfructus esse potest.*

3. *Excu-*

3. *Excipiuntur res, quæ usu consumuntur, & quænam illæ sunt.*
4. *Cur pecunia his rebus annumeretur ratio vera.*
5. *Beneficio tamen Senatusconsulti earum usufructus constitui potest: & quale illud sit.*
6. *L. Si vini 7. ff. de usufr. earum rer. quæ usu consum. & §. constituitur 2. inst. de usufr invicem declarantur.*
7. *Quatuor sunt genera bonorum, ex iis primum est immobilium.*
8. *Secundum, mobilium.*
9. *Tertium: Eorum, quæ usu consumuntur.*
10. *Quartum genus usu quidem non consumitur: assidua tamen contrectatione minuitur.*
11. *Duorum priorum verus est ususfructus, posteriorum duorum non item, licet inter ea sit quædam differentia, & qualis illa sit.*
12. *Varia interpretum expositiones ad conciliandum §. constituitur 2. inst. de usufruct. cum l. Sed etsi quid & §. etsi vestimentorum 4. ff. eod.*
13. *Rejectis iis, vera affertur.*
14. *In rebus, quæ usu consumuntur, appellatione usus continetur ususfructus, ejusq; ratio.*
15. *Constituitur ususfructus vel omnium bonorum, vel certarum rerum: & quæ sit inter hac differentia.*

Constituitur, inquit Iustinianus *in § constituitur 2. inst. de usufr.* ususfructus non tantùm in fundo & ædibus: verùm etiam in servis & jumentis & cæteris reb⁹ exceptis iis quæ usu consumuntur. Quod † & Paulus jurisconsult⁹ indicat, dum scribit *lib. sen. 3. c. 9.* generalicarũ rerum omnium, quarum natura fruitioni 1

accommodata est, usumfructum constitui posse, ita ut nihil excipiatur, quin usumfructum admittat, etiamsi nullum vel exiguum emolumentum habeat: ut sunt imagines, picturæ, & prædia, quibus magis impendi-
2 mus, quàm fructum inde recipimus: Quin † & infantis & furiosi & ægroti ususfructus potest constitui *l. statua 41. l. arboribus 12. §. de illo: 3. l. si infantis 55. ff. de usufr.* Nam infans potest adolescere, furiosus ad mentem redire, & ægrotus ad sanitatem pervenire. Quod idem quoq; est in prædio inutili & sterili, si modò aliqua spes sit in futurum fructus percipiendi: adeò ut facultas constituendi usumfructum sit amplissima, non solùm formularum seu modorum respectu, sed etiam respectu ipsarum rerum, in quibus constituitur. Nam omnes res usufructum recipiunt, ut dictum est;
3 exceptis iis † quæ usu consumuntur: nam hæ neq; naturali neq; civili ratione recipiunt usumfructum: ut sunt vinum, frumentum, oleum, pecunia numerata & similia, quibus uti non possumus absq; consumptione & peremptione substantiæ *d. §. constituit. 2.* Nam illius conditionis & naturæ hæ res sunt; ut usum non admittant, sed tantùm abusum & consumptionem.
4 Pecunia † enim uti non possumus, ut inquit Aristoteles *in Politicis*, nisi consu-

meri-

mendo, id est, expendendo, permutando, & transferendo in aliū: quæ vera est ratio, quare pecunia numerata iis rebus comparetur, quæ usu consumuntur, & non ea, quam vulgo interpretes afferunt, quod assiduo usu atteratur. Eodem modo vinum, oleum & frumentum, usum & fruitionem non admittit, sed solùm consumptionem & abusum, qui naturæ ususfructus est contrarius *l. 1. ff. de usuf.* Utilitatis † causa tamen, & ad amplificandam 5
commerciorum facultatem inter homines, senatus censuit, posse etiam earum rerum usumfructum constitui *l. 1. ff. de usufr. ear. ret. quæ usu cons.* sicut Senatusconsulti beneficio remedium inductum sit, quo quasi ususfructus earum rerum constitueretur, verus enim constitui non potest, propter naturalem rationem repugnantem *l. 2. §. 1. ff. d. t. d. §. constituitur. 2.* Remedium autem Senatusconsulti sic est proditum, ut usufructuarius harum rerum heredi caveat, de reddendis ejusdem quantitatis rebus, vel iis æstimatis de certa pecunia: quod commodiùs judicat jurisconsultus *in l. si vini 7. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.* Unde 6
† pleriq; putant, *Bald. in d. l. si vini. 7.* Jurisconsultum *in d. l si vini. 7.* verbo commodiùs injecto, eripuisse fructuario eligendi facultatem, idq; probabilitatem accipit ex eo, quod

Iuſtinianus in inſtitutionibus *in d. §. conſtituitur 2.* tantùm æſtimationis meminerit, & quod nullo alio loco de facultate reſtituendi alias res ejuſdem qualitatis expreſſum ſit. Sed verius eſt Iuriſconſultum per adjectionem verbi commodius non conſtituere aut corrigere priora, ſed ſuadere tantùm commodiùs eſſe de æſtimatione caveri, quàm de rebus ejuſdem qualitatis, circa quas frequentiores oriuntur lites: ita tamen ut maneat fructuario facultas eligendi cautionem æſtimationis, vel rerum ejuſdem qualitatis, de quo pleniùs alio loco dicemus. Et quòd à Iuſtiniano mentio rerum ejuſdem qualitatis omiſſa eſt, admirationem non habet, ob id, quod Iuſtinianus in inſtitutionibus tantùm ſumma rerum capita attigit, quo imbecillitati adoleſcentium conſuleret, & prima quædam fundamenta ſtrueret eruditionis legitimæ, quæ plenior fieret ex ipſis fontibus Pandectarum.

Cæterum cùm diverſa ſit ratio & cautio rerum quæ uſu conſumuntur, & earum quarum ſubſtantia ſalva manet: operæ-pretium eſt eas paulò exactius diſtinguere. In qua re ſcien-
7 dum eſt † bonorum genera quatuor eſſe: unum immobilium, quæ uſu non depereunt, nec minuuntur, ut ſunt, prædia, fundi, ædes.
8 Alterum † contrà mobilium, quorum ea natura eſt ut utendo nihil illis decedat ſecundũ civi-

civilem rationem, ut ſunt aurum vel argentũ,
ſcyphi, gemmæ, annuli, numiſmata, ſervi, bo-
ves, equi & ſimilia: nam ex his quæ ſunt ina-
nimata ſuo proprio robore ſtant inconcuſſa:
animata verò abdita quædam naturæ vis con-
ficit, nunc è veſtigio, nunc paulo ſerius, ideoq;
nihil momenti habet in eis uſus, propter prio-
rem cauſam naturalem, quæ prævalet uſui ex
accidente tantùm detrimentum aliquod adfe-
renti *l. qui habet 3. ff. de tutel.* Tertiũ genus † eo- 9
rum eſt, quæ uſus ipſe conſumit & perimit, ut
ſunt oleum, triticum, vinũ, pecunia, lana, pan-
nus ad veſtes conficiendas *l. ſi lanæ 11. ff. de uſuf.*
ear. rer. quæ uſu conſum. Quartum † genus eſt e- 10
tiam mobiliũ, quibus paulatim decedit aliquid
ex uſu, quæq; minuuntur aſſidua contrectatio-
ne, non tamen conſumuntur nec perimuntur
ſtatim, qualia ſunt veſtimenta *l. lex quæ tutores*
22. circ. fin. C. de adminiſt. tut. Extravagans Ad condi-
torem in pr. & §. quod autem de verbor. ſignif. in verſ.
veſtimentis, culcitræ, tapeta, menſæ, dolia atq; a-
lia his ſimilia. In duobus primis † generibus re- 11
rũ proprius & verus eſt uſusfructus: in duobus
poſterioribus improprius: cũ ea tamen differen-
tia, quod res tertii generis uſu conſumũtur, il-
læ verò, quæ ſunt quarti generis, uſu minuũtur
tantùm & ad utranq; ſpeciẽ reſpicit rubrica
Pandectarũ, de uſufructu earum rerũ, quæ uſu
conſumuntur vel minuuntur, ſed in progreſſu

tituli solùm agitur de iis rebus, quæ usu consumuntur, & quæ ipsæ non restituuntur, sed aliæ ejusdem qualitatis, vel æstimatione facta pecunia, qua fuerunt æstimatæ, beneficio cautionis, quæ ex Senatusconsulto inducta est; quæ cautio cessat in rebus, quæ sunt quarti generis, in quibus tametsi non sit omnino proprius usus fructus, eadem tamen ratio & cautio servatur, quæ in vero usufructu, sic ut cautio ex Senatus consulto non sit necessaria: sed ea tantùm de utendo boni viri arbitratu *l. sed & etsi quid 15. §. etsi vestimentorum 4. ff. de usufruct.* nam & vestem sine culpa fructuarii attritam heres recipit, & vasa comminuta *l. si usufructus mihi 9. §. si vestis. 3. ff. quemad. usuf. cave. l. fin. eod. d. l. sed etsi. 15. §. etsi vestimentorum. 4.* Unde mirum est Justinianum in institutionibus *in d. §. constituitur. 2.* vestimenta reposuisse in numero earum rerum, quæ usu consumuntur, & quæ ipsæ non redduntur, sed æstimatio, vel aliæ res ejusdem qualitatis.
12 In† quo explicando laborant omnes interpretes propter contraria jurisconsultorum responsa in Pandectis extantia *in d. l. sed etsi 15. §. etsi vestimentorum 4: & in l. si usufructus mihi 9. §. si vestis 3. ff. usufr. quemad. cave.* Azo pro explicatione hujus perplexitatis existimat *in summ. 1 C. de usufruct.* Justinianum loqui de indumentis aliquo

quo tenui filo contextis, quæ verisimile sit brevi attritum iri, quales sunt vestes sericæ: at Ulpianum *in d. l. sed etsi 15. §. etsi vestimentorum 4.* loqui de iis, quæ textura crassiore prædita, possunt in tempus longinquum superesse, qualia sunt pannea Græcorum pallia. Sed hæc solutio propter generalem sermonem Justiniani & Ulpiani, & quia vestis nulla reperitur, quæ sic extinguitur atq; oleum, vinum, ab usu ipso deperit, non est admissibilis; vestis enim atteritur usu paulatim, & attrita etiam invito proprietario reddi potest *d. l. si usufructus 9. §. si vestis 3. ff. usufr. quemad. cave.* Unde Accursius variando nunc Azonis sententiam amplectitur, *in d. §. constituitur 2.* Ulpianum de scenico apparatu loqui arbitratur *in d. l. si usufructus 9.* quod verbis Ulpiani non convenit *in d. §. etsi vestimentorum 4.* quæ generaliter concepta sunt, & omni vestimentorum generi conveniunt: maximè quia postea Ulpianus, cùm de locanda, commodandáq; veste agit, specialiter de vestibus scenicis subjicit. Addit deniq; Accursius alio loco *in d. §. etsi vestimentorum 4.* Ulpiani responsum procedere, posteaquam fuerit præstita satisdatio: quod & Angelus probat *in d. §. constituitur 2.* verum ab Azone rejicitur & confutatur. Nam posteaquam satisdatum est in rebus,

quæ uſu conſumuntur, rei dominium transfunditur in legatarium, qui ea uti vel abuti po teſt pro arbitrio *l. in re mandata 21. C. Mandat.* ideoq; ſupervacanea eſt ſatiſdatio de utendo boni viri arbitratu. Azo ergo pro conciliatione dictorum jurium ſic diſtinguit: Aut uſusfructus, inquit, veſtimentorum non uti quantitatis relinquitur, quod fit, cùm teſtator cavet nominatim legari à ſe veſtes alio modo quàm ſolet pecunia, uti etiam explicat Alciatus, *Parerg. lib 1.* aut contra, inquit, velut pecunia, legatur: & Juſtinianus ſic intelligi debet, ut hoc definiat. Quod intelligitur ubi teſtator veſtem ſimpliciter legat: interpretatur enim Juſtinianus veſtem æſtimari ea conditione, ut finito uſufructu pretium reſtituatur.

Cæterum prædicta non tollunt difficultatem Nam ſi in veſtimento expreſſè cautum ſit, ne in veſte aliud obſervetur, quàm in pecunia, jam voluntas teſtatoris rem extra dubitationem conſtituit: ſed difficultas omnis verſatur in uſufructu veſtis ſimpliciter legato: Nam hoc caſu quia ſimilitudine relictæ quantitatis legatum expendere non poſſumus; nihil enim ſimile habet veſtis cum numo, nam atteritur non conſumitur veſtis, numus uſu planè abalienatur & conſumitur: nec quiſquā eſt præter Iuſtinianū, qui veſtimentum iis annumeraverit, quæ abuſu depereunt. Quin

in contrarium extant loca, ubi hæc tanquã diversa & dissimilia discriminantur *in d. Extravag. Ad conditorem & d. §. etsi vestimentorum* 4. nec tamen credendum est Iustinianum in institutionibus una vocula tot loca Pandectarum corrigere voluisse, Vnde † pro vera conciliatione potest dici, Iustinianum cùm vino, oleo, frumento vestimenta subjicit non hoc agere, ut omnia illa similia constituat, sed ut ostendat se loqui non solùm de iis, quæ usu consumuntur, sed etiam de iis, quæ minuuntur usu licet supra tantum̃odo verbum consumptionis usurpaverit, ad explicandum scilicet, quod rubrica Pandectarum expressit *de usuf. ear. rer. quæ usu consum. vel minu.* perinde in iis, quæ usu, minuuntur, atq; in iis, quæ usu tolluntur, non consistere verum usũfructum, cum repugnante natura, tùm adversante civili ratione; quia talibus rebus non congruit vera ususfructus definitio, licet interpretatione prudentũ ob id, quod planè non consumuntur usu, regulis ususfructus contineantur *in d. §. etsi vestimentorum* 4. Quod autem Iustinianus subjungit *in d. §. constituitur* 2. de pecunia, cæterisq; reb⁹ exposita cautione transferendis, ad vestimenta extendi non debet *d §. etsi vestimentorum 4.* quorum, tametsi propriè non sit ususfructus ob deminutionem substantiæ: velut tamen usũfructũ veteres induxerunt, ita ut absq; translatio-

latione dominii, cautio de utendo boni viri arbitratu acciperetur, cessante cautione æstimationis, perinde ac si de re ageretur, cujus verè & propriè esse potest ususfructus *d. §. etsi vestimentorum 4.* Et quod Justinianus in hac re tam parcus fuerit, inde factum est, ut in institutionibus magis imbecillitati adolescentium, quàm juris apicibus explicandis subserviret, ne rerum varietate & subtilitate eos à jurisscientia averteret. Unde & aliis multis locis summis capitibus tantùm propositis, pleniorem rerum indaginem ex fontibus Pandectarum hauriendam censet, quemadmodum in illo ipso tractatu, de usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur *in d. §. constituitur 2.* consumptionis tantùm, non etiam diminutionis verbum adjecit: & præterea æstimationis tantùm meminit, cùm tamen (ut ex latioribus Pandectarum libris constat *in d. l. si vini 7.*) integrum sit legatario cavere ejusdem qualitatis restitutum iri, vel inæstimata, quæ sibi legata sunt, restituere.

14 Illud quoq; † prætermittendum non est, in rebus, quæ usu consumuntur, usufructum etiam usus appellatione contineri *l. Hoc senatusconsultum 5. in fin. l. 10. §. 1. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.* quoniam cùm omnis utilitas istarum in consumptione & abusu consistat,

ususfructus ab usu separari non potest. Rursus cùm pecunia relicta est, quamvis adscriptum sit ad usum; proprietas tamen legata intelligitur, & usus commemoratio valet tantùm ad fideicommissi constitutionem *l. fin. ff. eod.* Deniq; advertendum est † usumfructum constitui vel omnium bonorum vel certarum rerum *l. quoties 34. §. vniversorum 2. ff. de usufr. l. patrimonij 22. & l. uxori 24. & l. fin. ff. de usufr. legat. & l. usufructu bonorum 69. ff. ad l. Falcid.* 15
Inter quæ magna est differentia. Nam legato usufructu rerum singularium, puta ædium, exustis ædibus areæ usufructus peti non potest; contra usufructu omnium bonorum relicto, areæ usufructus adhuc remanet *d. l. quoties 34. §. universorum 2.* quoniam qui bonorum suorum usumfructum legat, non solùm eorum, quæ in specie sunt, sed etiam substantiæ omnis usumfructum legare videtur, in rebus verò particularibus solam speciem attendimus. Rursùs usufructus certarum rerum, neq; æs alienum agnoscit, neq; debita solvit; præterquam realia, & contemplatione rei ipsius debita: secus verò in usufructuario bonorum omnium, qui ad omne æs alienum tenetur *d. l. fin. ff. de usufr. legat.* quod quomodo accipi debeat, inferius plenius declarabitur.

Vſusfructuarius quomodo utatur & quæ commoda ſeu emolumenta habeat.

Cap. XIII.

SVMMARIA.

1. *Omnia rei, cuius debetur uſusfructus, emolumenta habet fructuarius.*
2. *Vt etiam apum, lapidicinarum, auri & argenti-fodinarum, etiam poſt conſtitutionem inventarum, &c. habeat.*
3. *Venationum quoq; aucupiorum, piſcationum reditus, ad eum pertinent, ſi fundus ad talem uſum ſit deſtinatus*
4. *Nec non alluvionis commodum: non autem inſula in flumine nata.*
5. *Item cadua & cremiales arbores: Vbi quæ ſint cadua & quæ non.*
6. *Arboribus vi tempeſtatis deiectis, tantum ad ſuum & villæ uſum uti poteſt.*
7. *Fundi uſufructu legato, ſi die legati, fructus adhuc pendentes deprehendat fructuarius, eos feret.*
8. *Sive ſint naturales, ſive induſtriales.*
9. *Idem eſt in penſionibus ædium, & aliorum prædiorum urbanorum: nec non ſervis & pecore.*
10. *Servum arte inſtituere, eoq; deinde uti poteſt.*
11. *In equorum, iumentorum, &c uſufructu, omnes eorum fructus continentur.*
12. *Si tamen grex legata ſit, prius, quod ex grege deperierit, ex fœtu eum ſummittere oportet.*

13. In

13. *In fructibus autem percipiendis non inspicitur maturitas naturalis, sed id potius tempus, quo ei magis fructum tollere expedit.*
14. *Ad fructuarium pertinent Laudimia, & venta, ius præsentandi, confiscationes, mulcta, & cætera iurisdictionis emolumenta.*
15. *Illaq́; finito usufructu, nec ipse, nec hæres eius, restituere tenetur.*
16. *Nisi propria rei natura aliud suadeat, vel tale sit, quod personæ ex certa causa debeatur, quæ usufructuario non congruit.*
17. *Fructuarius vel ipse frui, vel aliis locare, vel vendere usumfructum potest.*
18. *Fundi usufructu legato aditum, viam, & iter, omnia q́; sine quibus usufructuarius commodè frui non potest, hæredem præstare oportet.*
19. *Actionum fructuario competentium enumeratio.*

PRæcedentibus capitibus multa de vi & significatione usufructus: Item de personis eorum, quibus & à quibus usufructus constituitur; Item de rebus quæ usumfructum recipiunt. Nunc videamus quomodo usufructuarius utatur fruatur, & quæ commoda seu emolumenta habeat; in qua re præmittenda est regula: Omnia † lucra, omnia emolumenta, omnes deniq; commoditates, quæ ex qualibet re, salva ejus substantia, vel cautione eo nomine præstita, percipi possunt, ad usumfructuarium pertinere: ut ecce, si fundi usufructus legatus sit, quicquid in 1

fundo

fundo naſcitur, quicquid inde capi poteſt, in fructu habetur *l. uſufructu legato 7. ff. de uſufr.*
2 *l. item ſi fundi 9. ff. eod.* adeo† ut ſi apes in fundo ſint, earum uſumfructum fructuarius habeat: Item ſi lapidicinæ, cretifodinæ, auri argentifodinæ, vel cujuslibet alterius materiæ fuerint, in fructu habeantur. Sed etſi metalla poſt uſumfructum legatum inventa ſint, contineantur legato *d. l. item ſi fundi 9. & l. Divortio* (*in quibuſdam eſt l. fructus 7. §. item ſi vir. 13.*) *ff. ſolut. matrim.* Quomodo etiam, ſi fundus in dotem datus ſit, in quo lapis cæditur, lapidicinarum commodum ad maritum pertinet. *l. ſi fundus 8. ff. Solut. matrim. l. ſi ex lapidicinis 32. ff. de jur. dot. l. fin. ff. de fund. dotal.* Cæterum prædicta intelliguntur, ſi lapis renaſcatur, hoc eſt, tale ſit prædium ubi lapis renaſcitur *d. l. Divortio ſi alias l. fructus 7. §. Item ſi vir. 13. ff. ſolut. Matrim.* Venationes † quoq; & piſcationes recte
3 in fructu eſſe dicuntur, ſicut venationum, piſcationum, & aucupiorum reditus ad fructuarium pertineant *d. l. item ſi fundi 9. §. Aucupiorum quoq; 5. & venationem 26. ff. de uſur.* quod eſt intelligendum, ſi fructus fundi in venatione conſiſtat, id eſt, uſus illius ad venationem deſtinatus ſit *d. l. venationem 26.* quia deſtinatum rei uſum mutare non licet *l. ſi uſusfructus legatus* (*in quibuſdam eſt l. ſi cujus 13. §. fructuarius 4.*)

4.) *ff. de usufr.* Rursus alluvionis † usum fructum quoq; ad fructuarium pertinere placuit: nam ubi latet incrementum & ususfructus augetur: ubi autem apparet separatum incrementum, usufructuario non accedit *d. l. item si fundi 9. §. huic vicinus 4.* ideoq; si insula juxta fundum in flumine nata sit, ejus ususfructus ad fructuarium non pertinet: est enim velut proprius fundus, cujus ususfructus ad alterius fundi fructuarium non pertinet *d. § huic vicinus* 4. Arbores † quoq; cæduas vel cremiales 5
in fructu computari Ulpianus scribit *in d. l. Divortio § si fundum* 12. *ff. solut. matrim. & d. l. item si fundi 9. cum l. seq.* Cæduæ autem arbores dicuntur, quæ ad hoc destinantur, ut excidantur: ut sunt salicta, arundineta, populi & similia *d. l. divortio* (*in quibusdam est l. fructus* 7. §. *si fundum 12.*) *& l. ex sylva 10. ff. de usufr. d. l. Item si fundi 9. §. fin.* Non cæduæ sunt grandes & frugiferæ arbores, quas fructuarius excidere non potest, cum inde fundus deterior fieret *l. sed grandes 11. ff. de usufr.* & proinde si exciderit, tenetur ad id quod interest *d. l. fructus* 7. §. *si fundum 12.* nisi vetustas aut emortuas exciderit, & novas substituerit in earum locum: nam tunc absq; periculo ejus quod interest, fructuarius priores suas facit *l. Agri 13. ff. de usufr.* Quod † idem 6
ferè est in arboribus vi tempestatis dejectis:

H nam

nam illæ catenus ad fructuarium pertinent, ut iis uti possit ad ædificandum & comburendum, quantum ad suum & villæ usum sufficit, non etiam ad donandum aut vendendum: nam alioqui si totus ager hunc casum passus sit, omnes arbores auferret fructuarius, quod non est admittendum *l. arboribus* 12. *in pr. ff de usufr.* Præterea cæsi arundineti & pali compendium ad fructuarium pertinet, si in eo fundo vectigal esse consuevit *l. item* 9. §. *vlt. l. arbores* 59. §. *vlt. ff. eod.* Et † si pendentes fructus jam
7 maturos reliquerit testator, fructuarius eos feret: nam & stantes fructus ad eum pertinent, si die legati eos adhuc pendentes deprehenderit *l. si pendentes* 27. *ff. de usufr.* quod eam significationem habet, ut in fructibus simul cum re & usus fructus habeatur: sicut (quemadmodum de alluvione dicitur) fructus pendentes, quoniam pars rei sunt *l. fructus* 44. *ff. de rei vindic.* usumfructum augeant, & eo finito
8 cum re ipsa restituantur. Neq; interest † an naturales sint fructus an industriales, nam omnes fructuario acquiruntur: licet secus sit in possessore bonæ fidei, cui ex communiori sententia naturales fructus non acquiruntur: quoniam fructus illi conceduntur propter culturam & curam, quæ in naturalibus nulla est § *si quis à non domino* 35. *Inst de rer. divis. l. fructus* 45. *ff. de usur.* Usufructuario autem omnes

omnes fructus acquiruntur propter jus suum, quod omnia rei emolumenta complectitur, ut circa significationem & definitionem usus fructus diximus.

Et quæ de fructibus fundi seu prædii rustici dicimus,† idem obtinet in pensionibus ædiũ & aliorum urbanorum prædiorum *d. l. usufr. legato 7. d. l. Divortio (alias est l. fructus 7. §. de pensionibus 11.)* Et prædicta non solum in fundo & ædibus locum habent, sed etiam in servis & pecore. Nã quamvis usufructuarius servos neq; torquere, neq; flagellis cædere posit, modicam tamen castigationem habet, & eos cogere potest operari *l. locum 17. §. 1. l. sed sicuti 13. §. 1. ff. de usuf.* dum tamen contrariis ministeriis atq; in usitatis ministerium servi non corrumpat *d. l. locum 17. §. 1. l. si pendentes 27. §. fin. ff. eod.* 9

Potest † quoq; usufructuarius servum, cujus ministerio quasi vacuo utebatur testator, disciplina vel arte instituere, & arte vel disciplina ejus uti *d. l. si pendentes 27. §. 1.* nam hoc solum observare debet fructuarius ne abutatur vel contumeliosè utatur *d. l. si pendentes 27. §. 1.* quod procedit non solum in servis, sed & in equis & jumentis Prætetea † in pecudum usufructu sunt agni, hædi, vituli, & similia, quæ pleno jure ad fructuarium pertinent *l. in pecudum 28. ff. de usur. §. in pecudum 37. inst. de rer. div.* Nam sicut fundi, ita & omnes animalium fru- 10 11

ctus, ut lana ovium, fetusq; pecorum ad usufructuarium pertinent: excepto partu ancillæ, qui in fructu non est *l. vetus quæstio 68. ff. de usufr.* propter hominis dignitatem, cujus gratia natura produxit omnia, ut late disputat
12 Joannes Copus *lib. 1. de fruct. in pr.* Illud † prædictis addendum est, quod gregis usufructu legato, fætus ad usufructuarium ita pertineant, si quicquid gregi deperierit ex fætibus suppleatur, ut scilicet grex semper maneat integer *d. l. vetus quæstio. 68.* Nec est prætermittendum ususfructus appellationem & utilitatem tam latè patere, ut in fructu id esse intelligatur, quod ad usum hominum inductum
13 est: ita † ut naturalis maturitas non spectetur, sed tantùm temp⁹, quo magis colono vel domino expedit fructū tollere: ita ut olea immatura, quæ plus reditus habet, quàm si matura esset à fructuario percipi possit *l. in fructu 24. ff. de usufr. legat.* Quod ad fabas aliaq; similia, quæ viridia adhuc majorē fructum utilitatem habent, quàm si matura essent extendum est.

Neque interest, respectu usufructuarii, cujus generis, aut quarū rerū sint fructus, quoniam in universū omnes obventiones & emolumenta ad eū pertinent *l. usufr. legato 7. ff. de usuf.* Unde & ea quæ honoris vel recognitionis cau
14 sa dari solent: qualia † sunt laudimia & ventæ, (ut vocant) ad fructuariū pertinent *Guid. Pap. decis.*

decis. 477. Idem in jure præsentandi ad beneficium vel officium vacans, cùm hoc sit in fructu *gl. in c. cum olim. De Maiorit. & obed. c. ex literis & ibi Innocen. & Panormit. De jure patron.* Idem in confiscationibus, mulctis, & cæteris pœnis pecuniariis, quæ pendente usufructu contingunt: nam hæ, quamvis solo non contineantur, tamen fructuario cedunt, etiamsi ipsius rei æstimationem excedant *d. l. usufr. legato* 7. *& ibi Bald. & alij.* Nam mitti potest in possessionem vicinarum ædium damni infecti causa, & jure dominii possidebit, si perseveretur non caveri, nec quicquam amittet vel restituet finito usufructu *d. l. usufructu legato* 7. Idem de emolumentis Jurisdictionis *Boer. decisi.* 5. Quo etiam pertinet quod Oldradus scribit *consil.* 24. & Zasius admonet: jura feudalia & laudimia: Item relevia & si qua alia à vasallis penduntur, non proprietario, sed usufructuario acquiri. Sed magna est contentio † an hujusmodi emolumenta finito usufructu restituantur, an verò penes hæredes usufructuarii remaneant? Et Oldradus existimat restitui debere. Alii contrà, hujusmodi obventiones, confiscationes, & jura absolutè usufructuario attribuunt; quorum sententia vera est *d. l. usufructu legato* 7. *& ibi Bald. & alij.* Unde infertur confiscationes, usufructuario vel principi 15

obvenientes, censeri jure accrescere & liberè alienari posse, neq; teneri usufructuarium vel principem tales res incorporare aut adjicere mensæ regni vel territorio: quia est nova acquisitio, quæ legibus regni vel principatus non constringitur, *Pulchrè Carol. Molinæ: de feud. in §. 30. num. 786. & § 1. gl. 11. quæst. 1. & 9. & §. 13. gl. 1. quæst. 6. num. 37.* nisi agatur† de reversione & consolidatione per se & ex propria rei natura proveniente, ut in finita emphyteusi vel feudo propter defectum lineæ, aut ex alia causa præexistente *Molinæ d loc.* vel nisi de quo agitur tale sit, quod domini personæ cohæreat & debeatur ex certa causa, quæ usufructuario non congruit; veluti si novo domino pro felici introitu, seu in auguratione debeatur cyathus, equus, vel alia gratificatio. Unde ad eum qui conduxit fructus Archidiaconatus, non pertinet id, quod solet Archidiacono præstari pro felici introitu *Oldrad. cons. 129.*

16

17 Rursus† quod ad potestatem usufructuarii ampliandam pertinet, permittitur ei, ut vel ipse utatur fruaturq;, vel alii rem fruendam concedat; nam & qui locat, utitur, fruitur: Item, qui vendit, utitur: Sed etsi alii precariò concedat vel donet, uti dicitur *l. arboribus 12. §. usufructuarius 2. ff. de usufr. l. Pompenius 29. ff. quib. mod. usufr. amit.* Quod est intelligendum de comme-

commoditate ususfructus, non etiam de ipso jure, quod personæ usufructuarii cohæret, & neq; cedi neq; in alium transferri potest *§. finitur 3. Inst. de usufr. l. si ususfructus 66. ff. de Iur. dot.* Ex quibus infertur, tametsi quis solum usumfructum fundi habeat, proprietate alteri reservata, quæcunq; ex illo fundo seu fructibus proveniunt, ad quoscunq; transferri libere posse: neq; enim potest proprietarius cogere usufructuarium ut de fructibus ejusmodi præter voluntatem suam disponat *d. l. item si fundi 9. inpr. & d. l. arboribus 12. §. usufructuarius 2.*

Præterea ususfructus legatus adminiculis indiget, sine quibus quis uti, frui non potest *l. 1. §. 1. ff. si usuf. petet.* Et ideo † quemadmodum 18 fundo legato accedit & iter, & omnia, sine quibus fundus legatario esset inutilis: ita si cui usfructus legetur, est necesse eum sequatur aditus *d. l. 1. §. 1.* Usq; adeo, ut si quis usumfructum loci legat, ne hæres cogatur præstare iter, vel ademto itinere, inutilis censeatur: hæc adjectio seu ademptio, etiamsi aditus nō sit per fundum hæreditarium: agi enim potest ut ususfructus cum aditu præstetur *d. l. 1. § sed si ususfructus 2.* Nec solum aditus & iter debetur, sed & via, si ususfructus perceptio hoc desideret: omnia enim hæres præstare tene-

tur, sine quibus usufructus haberi non potest *d. l. 1. §. utrum autem 3.* Praeterea † si fur
19 decerpserit fructus, habet actionem furti, & plerunq; etiam condictionem *l. si fur decerpserit (ut quibusdam est l 12. §. 5.) de usuf.* Sic si proprietarius usum aut formam rei mutaverit, aut deteriorem fecerit, aut ex testamento, aut de dolo tenetur *l. repeti 5. in fin. ff. quib. mod. usuf. amit. l. uti frui 5. ff. si usufr. pet.* Publiciana quoq; usufructuario datur *l. si ego 11. §. 1. ff de publ. in rem act.* Sed & interdictum quod vi aut clam usufructuario competit *l. sed & interdictum 6. ff. quib. mod. usufr. amit.* Item confessoria ususfructus petitur, & judex condemnat haeredem ad interesse deteriorationis, & ad fructus praeteriti temporis, seu eorum aestimationem *l. si ab herede 2. l. fructuario (quibusdam est l. uti frui 5. §. 4.) ff. si usufr. pet.* nisi sit possessor qui agit, is enim duntaxat securitatem consequitur *l. penult. §. fin. ff. eod.* Praeterea condemnatur haeres usufructuario ad interesse servitutis rei impositae, post relictum usumfructum *d. l. si ab herede 2.* quod est intelligendum de servitute imposita antequam constitutus esset ususfructus: nam constituto usufructui servitus imponi non potest, ut declarat Joannes Corasius *in l. 3. ff. de servit l. sed si quid 15. §. fin. ff. de usufr.*

Quo-

Quomodo & quando usufructuarius suos faciat, & quomodo defuncto usufructuario inter illius hæredem & proprietarium fructus dividantur.

Cap. XIIII.

SVMMARIA.

1. *Vsufructuario acquiruntur fructus, si ab eo, aut alio eius nomine à terra sunt separati.*
2. *Fructus quomodo percipiantur.*
3. *Res sub conditione legata, pendente illa hæredis est.*
4. *In perceptione fructuum melior bonæ-fidei possessoris conditio est, quàm fructuarii: & quomodo.*
5. *Fructus ut acquirat in naturalibus, industrialibus & pensionibus pro fructibus debitis, non inspicitur tempus solutionis faciendæ, Sed collectionis fructuum..*
6. *Aliud observatur in fructibus merè civilibus.*

CÆterum † fructuario ita demum fructus acquiruntur, si ab eo, vel ab alio illius nomine, separentur à terra, &, ut vult Accursius *in l. si fur decerpserit (aliàs est l. 12. §. 5.) ff. de usufr.* in horreis recondantur: quod tamen postremum non videtur necessarium, sufficiente sola separatione ab usufructuario, vel 1

alio ipsius nomine facta *l. si fructuarius 13. ff. quib. mod. usufr. amit. & §. is verò 36. instit. de rer. divisi.* Rectè itaq; Justinianus scribit, eum, ad quem usus fructus pertinet, non aliter fructuum dominum effici, quam si ipse eos perceperit: Et ideo licet maturis fructibus decesserit, ad hæredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur *d. §. is verò 36.* Cui simile est quod Jurisconsultus respondit, fructum à fure decerptum non esse fructuarii, nisi postea quam à proprietario vel ab alio illum accipit *d. l. 12. §. 5.* In contrarium verò, si usufructuarius messem fecerit & decesserit, spica, quæ in messe jacet, ad hæredem ejus pertinet ex Labeonis sententia: spica verò quæ terra continetur, ad dominum fundi pertinet. Et definit † Jurisconsultus *in d. l. si fructuarius messem 13.* fructum percipi, spica vel fœno cæso vel adempto, aut excussa olea, quamvis nondum triticum, frumentum, aut oleum factum vel vindemia coacta sit *d. l. si fructuarius 13.* Quod verum est, quando ipse fructuarius perceperit *d. §. is verò 36.* secus autem si olea per se deciderit vel fur decerpserit: nam tunc requiritur, ut fructuarius fructus postea nactus fuerit: quoniam interim proprietarii sunt, exemplo † rei sub conditione legatæ, quæ interim hæredis est, existente autem conditione ad lega-

gata-

gatarium pertinet *d. l. si fur decerpserit (in quibusdam est l. 12, §. 5) ff. de usufr.* Ob quod † melior 4
est conditio bonæ fidei possessoris, quàm usufructuarii: nam bonæ fidei possessor hoc plus habet, quod fruct⁹ suos faciat simulatq; à terra quacunq; ratione separati sunt: cum usufructuarii non fiant, nisi ipse vel alius ejus nomine illos perceperit. Et hoc est quod Julianus ait *d. l. si fructuarius 13. in fin.* fructuarii fructus tunc fieri cum eos perceperit: bonæ fidei autem possessoris simulatq; à solo separati sunt.

Et † quod de perceptione fructuum ad adquisitionem usufructuarii necessaria dicitur: 5
Procedit primò, in fructibus naturalibus, qui immediatè ex re ipsa proveniunt sive sponte & naturaliter, sive cura & industria hominum *l. Vacca emptor. 43. ff. de Evict. d. l. si. fructuarius 13. d. l. 12. §. 5.* Secundò procedit, in pensionibus pro hujusmodi debitis, in his enim, quo ad effectum acquisitionis, non inspicimus tempus solutionis faciendæ, sed collectionis fructuum *latè Carol. Moling. de feud. §. 1. pag. 13. per l. defuncta 58. ff. de usufruct.* Unde eleganter à Paulo Castense responsum est *cons. 214. super primo in pr. lib. 2.* pensionem, quæ à colono vel conductore præstatur, perceptis fructibus deberi hæredi usufructuarii, etiam si neq; solu-

ralibus & industrialibus seu pensionibus, quæ pro illis debentur: aliud tamen observatur in fructibus mere civilibus, seu, ut pleriq; volunt, civilissimis, qui percipiuntur propter res, quarum nullus est fructus naturalis vel industrialis, ut sunt domus, servi, jumenta & similia. Item pecunia ad reditum seu annuam præstationem exposita. Nam pensiones, quæ hinc recipiuntur, neq; fructus dici possunt, neq; compensationes fructuum, sed jure debentur, & vicem fructuum habent *l. si navis in pr. 62. ff. de rei vindic.* ideòq; pro rata temporis debentur, non inspecta perceptione, fine locationis, aut extremitate anni, quo totus reditus deberi incipit *l. adhuc interesse* (*aliàs est l. 25.* §. 2. *l. si operas 26. ff. de usuf.* Idem est in legato annuo *l. à vobis 5. ff. de annu. legat.* quod á principio deberi incipit *l. in singulos annos 8. l. 22. ff. eod.*

Quæ incommoda & onera fructuarius substi- neat.

Cap. XV.

SVMMARIA.

1. Vsu-

1. Vsufructuarius boni viri arbitratu re frui, nec eius causam deteriorem facere, aut ad alium usu trans ferre debet.
2. Tenetur mancipia & iumenta sufficienter alere, & ades modice reficere.
3. Vetustate collapsa non reficit, modo ipsius culpa non arguatur.
4. Rei onera agnoscere tenetur, & quaenam illa sint.
5. Idem est in creditore pignerattitio, & aliis rerum possessoribus, nisi diversa extet consuetudo.
6. Impensas, qua ratione fructuum fiunt, ferre cogitur.
7. Si haeres, eo absente, negotium illius gerens villam fructibus colligendis necessariam faciat, ab illo repetet expensas.
8. Magnam expensam, quae principaliter utilitatem rei respicit, non praestat.
9. Definitio magnae & modicae expensae iudicis arbitrio relinquitur.
10. Si testator haeredem reficere iussit, eum ad id, actione ex testamento, compellere potest.
11. Repudians usufructum ad refectionem non tenetur.
12. Regulariter omnes, qui ratione rei conveniuntur, eam relinquendo, onera excutere possunt: secus in personalibus.
13. Si modo dolus & culpa absit, nec de praeteritis oneribus agatur.
14. Fructuarius ad onera personalia non tenetur, nisi ei omnium bonorum ususfructus sit relictus.
15. Rei appellatio latissima, & quid ea comprehendatur.
16. L. ult. ff. de usufr. legat: emendata.
17. Vsufructu omnium bonorum simpliciter relicto, debita exigere potest fructuarius, habetque omnium actionum haereditariarum exercitium.

18. Se-

18. Secus si non simpliciter, sed sub certa demonstratione, relinquatur.
19. Non tenetur as alienum solvere.
20. Etiamsi omnium bonorum mobilium vel immobilium, vel aliqua parte bonorum, usufructus legatus sit.
21. Secus est, in legato partis bonorum.
22. Imo: nec cui omnium bonorum usufructus simpliciter relictus est, ad hoc tenetur.
23. Pati tamen debet, ut hæres ex bonis creditoribus satisfaciat.
24. Bona non intelliguntur, nisi quæ deducto ære alieno supersunt.
25. Hæres potest accipere cautionem ab usufructuario de solvendo debitis. aut ea omissa, quantum sufficiet ab illo petere.
26. Nisi alia mens testatoris appareat.
27. Si onus ærit alieni indictum sit vel rei, vel personæ fructuarii, ipse sustinebit.
28. Vni rei certa, alteri usufructu omnium bonorum relicto, res illa certa usumfructum minuit
29. Legati annui solutio ad fructuarium spectat.
30. Si modo absque notabili diminutione usufructus fiat.
31. Non maiorem, quàm cætera legata, diminutionem patietur.
32. Aestimatio usufructus quomodo facienda.
33. Hæreditatis usufructu relicto, æs alienum solvere tenetur legatarius.
34. Tenetur, ut & patronus, dominus feudi, hæres fideicommisso gravatus, de dolo & omni culpa.
35. Aliter atque bonæ fidei possessor, & creditor pignoris pratoris.
36. Ante tempus messis fructus colligens, si interim usufructus finiatur, hæredi eos cum interesse restituere tenetur.

37. *Idem iuris in domino fen di, & hærede, qui in fundem legatarii vel fidei-commissarii, fructus decerpit.*

38. *Declarantur l. si absente 48. in fin. ff. de usufr. & l. penult. ff. de usu & usufr. legat.*

39. *Aedes ex causa damni infecti possessas sibi acquirit, nec tenetur eas finito usufructu restituere: & quomodo hoc accipiendum.*

1 CVm † usufructuarius debeat salvam servare rei substantiam *l. 1. ff. de usufr.* in primis requiritur, ut boni viri arbitratu fruatur neč deteriorem causam proprietatis faciat *l. si cujus 13. §. fructuarius 4. l. sed si 15. §. proprietatis l. locum 17. & tot. tit. ff. de usufr.* Unde servis secundum conditionem eorum uti, nec contrariis aut invisitatis ministeriis eos corrumpere debet *d. l. sed si 15. § . 1. & l. locum 17. §. 1. si pendentes 27. ff. de usufr.* Quod idem in fundo & similibus observatur: nam in his contra destinatum rei usum nihil fieri potest, si hoc proprietario præjudicet, aut formam rei mutet, veluti si ex prædio voluptuario olitorium faciat *l. si cujus 13 §. fructuarius 4. ff. eod.* Qua ratione nec ampliare neq; detrahere quicquam potest usu fructuarius, quamvis melius sit repoliturus *l. hactenus (in quibusdam est l. usufructu 7 § 3. eum l. seq.) ff. de usuf.* quia tametsi meliorem, extruendo ædificium, domini causam facturus esset: non tamen id jure suo facere potest. aliudq; est tueri quod accepit, aliud novū facere *l. usufructuarius 61. ff. eod.* Prætereà †

2 cùm

cùm usu-fructuarius omnes rei fructus habeat mancipia, jumentaq; sufficienter & secundùm qualitatem eorum alere tenetur *l. sicut stipendia 45. ff. d. t.* nec non moderatam refectionem ædium facere *l. usufruct. legato 7. §. quoniam igitur 2. ff. de usuf.* ita tamen ut ad voluptarias vel non necessarias impensas nō teneatur: usufructuarius enim hactenus tantùm reficere tenetur, ut sarta tecta habeat & tueatur quod accepit *d. l. 7. §. 2. d. l. usufructuarius 61.* nam id solùm ab usufructuario exigitur, ut salva & incolumia atq; in eodem statu, quantum fieri potest, ea quæ accepit remaneant. Unde † si 3
qua vetustate corruerint, usufructuarius resitere non cogitur, si culpa in eo non arguatur *d. l. hactenus* (*in quibusdam est l. usufr. legato 7. §. 2.*) Nam modica refectio tantùm ab usufructuario exigitur, quam facit suis impensis absq; spe re petitionis: quia hujusmodi impensæ sunt onus fructuum *d. l. usufructu legato §. 2. & ibi gloss. & Dd.* Et ut modica refectio ad usufructuarium pertinet, ita † & alia rei onera agnoscere 4
tenetur, puta tributum, stipendium, alimenta ab eo relicta, quæ cloacarii nomine debentur, aut ob formam aquæ ductus, qui per agrum transit, penduntur, quæ municipio vel ad collationem viæ ob transitum exercitus debentur, aliaq; similia usufructui annexa, vel ex re,

 cujus

cujus usufructus relictus est, provenientia *d. l. 7. §. 2. l. si pendentes 27. §. si quid cloacarii 3. ff. de usufr.* hæc enim sunt rei ipsius onera, quæ sequuntur eum, qui habet commoda, Ex † quo
5 intelligitur ea, quæ hic traduntur de usufructuario, etiam procedere in creditore pignoratitio, & reliquis rerum possessoribus *l. inter 42. ff. de Pact. l. 1. ubi gloss. & Part. C. de Annon. & tribut. l. 10.* nisi diversa extet consuetudo vel ordinatio *l. sine hærede 32. §. Lucius 6. ff. de Admin. tut.* vel nisi agatur de decimis, quæ absq; diminutione præstantur *Panorm. in cap. cum non*
6 *sit ext. de decimis.* Nec † solùm onera refectionis & similia usufructuario incumbunt; verum etiam impensæ, quæ fiunt gratia colligendorum fructuum, etiamsi in eam rem majores impensas usufructuarius faciat: & ita in villa colligandis fructibus necessaria de novo ædificata, responsum est *l. Titius 50. ff. de usufr. l. generalis 32. §. Lucius Titius 5. ff. de usufr. legat.* Vnde expense sementis arationis & sationis ad fructuariũ pertinent, idq; in solidum, nisi aliùs, cui usus relictus est, in perceptione fructuum concurrat *l. si domus 18. ff. de usu & habit.* Et si proprietariùs villam colligendis fructibus necessariam ædificaverit, expensas à fructua-
7 rio recuperat. *d. l. Titius 50.* Et quod † ad refectionem necessariam attinet, si absente usufructua-

fructuario hæres, vel aliùs refecerit, tametsi sibi in futurum prospexerit, nihilominus negotiorũ gestorum actionem habet adversus usufructuarium *l. si absente 48. in pr. ff. de usufr.* dummodò refectio tutelam ædificii necessariam respiciat *l. Divortio (in quibusdam est l. fructus 7. §. fin) ff. solut. matrim.* & is, qui reficit animo repetendi id faciat contemplatione usufructuarii, & quasi negotium illius gerens *d. l. si absente 48.* nam si aliâs reficeret non contemplatione fructuarii, sed ut sibi prospiceret principaliter, aut impensã faceret quæ ad fructuarium non pertineret, non indulgeretur repetitio, & nihilominus pati deberet ædificans usufructuarium uti frui *d. l. usufructu legato 7. §. 2. & gl. in l. si extraneo 46. §. 1. ff. de usufr.*

Limitantur prædicta primò procedere in expensis colligendorũ fructuum causa factis, aut modica refectione, Nã † magnã expensam, 8
& quæ principaliter rei utilitatẽ respicit, non agnoscit fructuarius, qui duntaxat sarta tecta præstare tenetur, & incolumia conservare ea, quæ accepit *d. l. usufructu legato 7. §. 2.* magnam verò expensam agnoscit proprietarius *d. l. hactenus (aliâs est d. l. 7. §. 2.) ff. de usuf.* Quæ † autem 9
sit magna vel modica expensa relinquitur judicis arbitrio *gloss. & Dd. in d. l. 7. §. 2.* Et plerisq; locis consuetudine vel statuto quadantenus definitum est. Et proinde si fructuarius

extra necessitatem refectionis impensas utiliter fecit, eas repetit à proprietario *Paul. Castrens. cons. 425. incip. super primo in pr. lib. 1.* In quare illud perpetuo est observandum, quod, quamvis usufructuarius teneatur rem restituere in eo statu in quo erat tempore concessionis, nec possit eam deteriorem restituere *l. 1. §. cavere: 3. ff. quemad. usufruct. cave.* Proprietario tamen non fit expedita actio propter deterio rationem, nisi is possit culpam in abutendo vel non reficiendo arguere, & probare
10 *Castrens. in d. cons. 425.* Secundo † intelliguntur prædicta, nisi testator jusserit ut ipse hæres reficeret: nam tunc potest usufructuarius ex testamento agere, ut hæres reficiat, quod si hæres non fecerit, & ob id fructuario frui non liceat, non solum ipse, sed etiam hæredes ejus, quamvis finito usufructu, propter emolumentum præteriti temporis agere poterunt ad interesse *d. l. si extraneo 46. cum seq. ff. de*
11 *usufr.* Tertiò † nisi usufructuarius paratus sit ab usufructu recedere. Nam si videat refectionem ædificiorum sibi damnosam, poterit liberari derelinquendo usumfructum *d. l. absente 48. in pr.* Quod idem est in censibus & tributis pro quibus prædia, non personæ tenen-
12 tur *l. Imperatores 7. ff. de public. & vectig.* Unde † generaliter omnes, qui reali actione conveniuntur,

niuntur, possunt rem pro derelicto habere, & onera inconvenientia à se excutere *l. cum fructuarius 64. ff. de usufr.* quod beneficium non datur conventis personali actione, ut cum in re communi expensæ factæ sunt *l. cum duobus 52. §. idem 10. ff. pro socio.* Vel cum agitur de qualitate vasallitia, cujus ratione persona Vasalli domino obligata est *Bart. in l. is cum quo. 7. ff. de aq. pluv. arcend.*

Præterea quòd dicitur usufructuarium & alios, qui sola reali actione tenentur, derelinquendo rem onera evitare, procedit † & 13
intelligitur si dolus vel culpa absit, & quaten' agitur de futuris oneribus devitandis: nam præterita onera & pensiones hac ratione non vitantur *Bald. in d. l. cum fructuarius 64.* Et si culpa vel dolus intercesserit in non faciendo, vel male utendo, hoc omninò fructuarius emendare tenetur. Et eodem modo si duarum ædium ususfructus relictus sit, quarum alteræ sunt caducæ & magnam impensam requirentes, alteræ novæ & utiles, non potest alteras relinquere retentis alteris: quia hoc bonæ fidei non congruit. Quartò limitantur prædicta procedere in oneribus realibus, & quæ ex ipsis rebus debentur, seu quæ specialiter usufructuario testamento, pactione, vel alia ratione sunt imposita *d. l. usufructu legato 7. § 2.*

14 nam † ad personalia usufructuarius non tenetur *d. l. 7. §. 2. & ibid. Dd. & in l. fin. ff. de usufr. legat.* Quod tamen est intelligendum in usufructu certarum rerum: nam secus est in usufructu omnium bonorũ legato, in quo etiam debita personalia veniunt *d. l. final.* veluti si ususfructus omnium bonorum relictus sit simpliciter *d. l. fin.* vel omnium bonorum præsentium & futurorum *Benedict. Capra. cons. 9.* Nec interest bonorum an rerum ususfructus legatur ad constituendum universalem usumfru-
15 ctum *d. l. fin.* Siquidem † rerum significatio latissimè patet, & tam generalis est, quàm bonorum, imò latius patere videtur, quia omnia comprehendit quæ ab homine corporaliter vel incorporaliter aut intellectualiter considerantur, etiamsi sint extra patrimonium *l. Rei appellatio 5. ff. de verb sing f.* ut non immerito apud logicos rei appellatio vocetur terminus transcendens, id est, superans omnia significata: de qua re latè Joannes Corasius *in l. naturaliter 12. §. nihil commune. 1. ff. de Acquir. poss.* Et hãc latissimè patentem rerum significationem spectasse videtur Jurisconsultus *in d. l. fin.* dum per comparationem scribit: nihil interesse bonorumquis, an rerum tertiæ partis usumfructum legaverit, quasi videlicet in rerum usufructu legato nullũ subesset dubium, quin

jus

ſus vniuerſale majis, quàm res ſingulares legatæ eſſent, cui per comparationē æquiparat & ſimile conſtituit legatū bonorū, de quo pluſculum dubitationis erat, quàm non obſcurè oſtendit ſequens verſiculus. Nam ſi bonorum &c. in quo Juriſconſult⁹ oſtendit etiam in bonorum uſufructu legato actiones computari, & æs aliorum deduci, de quo in uſufructu rerum propter ſingnificationis amplitudinem non erat dubitatio. Ex † quibus intelligitur 16 corruptæ legi reſponſum illud Juriſconſulti *in d.l. fin.* in vulgatis codicibus ſic conceptum: Multum intereſt utrum bonorum, &c. & emendandum eſſe ex Pandictis florentinis ut legatur: nihil intereſt. quoniam Juriſconſultus in illo reſponſo legatum bonorum & rerū non voluit ſeparare, aut diverſa conſtituere, ſed conjungere & ſimilia facere, conſtituendo nihil intereſſe utrum bonorum an rerum uſufructus legaretur, nam utroq; caſu æs alienum ex bonis ſeu rebus deducitur, & quod in actionibus eſt computatur, quod non eſt in uſufructu rerum certarum: puta fundi, domus, aut bonorum mobilium & immobiliū, quibus non continentur actiones & nomina *l. ſi quis ſervum 8. in fin. cum l. ſeq. ff. de leg. 2. d. l. fin.* Sic quoq; ſi uſusfructus bonorum mobiliū & imobilium non ſit univerſalis, aut omniū bonorū ſimpliciter, ſed certarū rerū tantū quem

admodum filius institutus in bonis mobilibus & immobilibus, dicitur institut⁹ in rebus certis, ob id, quod nomina debitorum sub illis verbis non comprehendantur *Fulgos. in l. 1. C. si advers. transact. Socinus Nepos consf. 115. in pr. lib. 1.*

Cæterum cum dicat Jurisconsultus in usufructu omnium bonorum simpliciter relicto deduci ex bonis æs alienum, & actiones computari, ingens est controversia quomodo hæc accipi debeant. Nam Bartolus nihil clarè decidit *in d. l. fin.* Baldus verò se remittit ex uno loco *in l. si quis servum 8. §. fin. ff. de legat. 2.* ad alium *in l. Sempronio 33. ff de usufr. legat.* Et prætera Baldus & Decius arguuntur contrarietatis ab Eumone Gravetta *consf. 187.* Castrens quoq; in hac re variavit: nam aliud uno loco *in l. usufructu bonorum 69. ff. ad l. Falcit.* aliud alio scribit *in l. fin. §. sin autem 4. (de bon. quæ liber:* Sed & Oldradus *consf. 24.* Item Philippus Corneus *consf. 195. lib. 4.* & Mathesilanus *singular. 5. &*
17 *7.* diversa scripserunt. Nos † ab iis quæ faciliora sunt incipiendo, quò facilior sit transitus ad difficiliora, inprimis concludemus: dubium non esse, quin usufructu bonorum vel rerum relicto etiam nomina & actiones contineantur *d. l. fin. & l. quoties 34. §. ult. ff. de usuf. l. generali 32. § uxeri 2. ff. de usufr. legat.* Nam & Calendarium hoc casu sub omnium bonorum

rum usu fructu venit *l. uxori meæ 37. de usufr. legat. Oldrat. d. cons. 24.* Et proinde usufructuarius potest exigere debita restantia in hæreditate, habetq; exercitium omnium actionum hæreditariarum, & potest omnia exigere *Barthol. Socin. cons. 131. in fin. lib. 1.* absq; ullo impedimento illi præstando, etiamsi pia causa substituta sit *Benedict. Capra cons. 25.* Quæ omnia procedunt in actionibus, ut ajunt, activis, idq; verba Jurisconsulti probant *in d. l. fin.* quæ hoc modo concepta sunt. Et quod in actionibus æs computabitur. Cæterum † prædicta procedunt in usufructu simpliciter relicto in omnibus bonis, vel in tertia, quarta aut quinta parte bonorum, vel hæreditatis *d. l. fin.* secus si non simpliciter omnium bonorum vel quartæ, aut quintæ partis bonorum ususfructus relictus sit, sed cum adjectione mobilium & immobilium, vel eorum quæ in auro, argento, aut lana sunt: nam hoc casu actiones non computabuntur, & non universale sed particulare legatum censebitur, ac si certarum rerum pars quarta, vel quinta legata fuisset *Cardin Florent. cons. 72. Socin. Nepos cons. 115. in pr. lib. 1.* Et hæc de debitis seu actionibus activis, in quibus non est magna difficultas. 18

In debitis verò passivis difficultas est maxima. Nam pleriq; affirmant, usufructuarium

teneri ad debita, & in eum transire actiones activas & passivas, Bartholus quem pleriq; sequuntur *in d.l. fin. Oldrat. in d. consil. 24.* Alii verò negant usufructuarium obligationem solvendi debita sustinere. *Castrens. cons. 394. in causa qua vertitur Bononia col. fin. lib. 2. Mathes. de sing. 5. & 7. cum multis adductis per Eumon. C. avet. d. consil. 187.* Alii distinguunt inter æs alienum & legata, & rursus an talia sint legata quæ in qnantitate consistant, & semel solvi debeant, an verò sint annua *Alexand. & alii in d. l. fin.* Quam definitionem quaten⁹ est vera sequen-
29 do, concludemus: Usufructuarium † generaliter non teneri ad onus solvendi æris alieni. Quod procedit sive á lege, sive à testatore usufructus sit constitutus *l. fin. §. si autem 4. C. de bon. qua liber. & ibi Bald. Salyc. Fulgos. & Castrens.*
30 Secundò † procedit non solum in usufructuario certarum rerum particularium, de quo apud neminem est dubium *Bart. & alii in d. l. fin. Aretin. cons. 116.* verum etiam in eo, cui omniũ bonorum mobilium vel immobilium ususfructus legatus est, vel tertiæ, quartæ aut quintæ partis bonorum mobiliũ & immobilium. Nam particulare legatum censetur, ac si certarum rerum ususfructus relictus esset *Socin. Nepos d. cons. 115. cum multis aliis adductis per Didac. Covarru. variar. resolut. lib. 2. c. 2. num. 3.* ideoq; oneri æris alieni non subjicitur: usq; adeo, ut
nec

nec deductio æris alieni per hæredem fieri possit ex bonis, antequam usufructus tradatur *Dec. cons. 237. & cons. 387.* Nam hæres ex reliquis bonis, vel ex propria substantia ad hoc onus tenetur, tametsi † in legato partis bonorũ simpliciter relicto æs alienum deducatur, priusquam pars illa tradatur legatario *Castrens. in d. l. si quis servum 8. §. fin. ff. de legat. 2. Didac. Covar. loco præcitato.* Tertiò † procedit prædicta conclusio etiam in usufructu bonorum omnium, vel partis bonorum simpliciter relicto. Nam bonorum omnium usufructuarius directò non tenetur ad æs alienũ, nec conveniri non potest à creditoribus hæreditariis, ut contra Bartolum rectè scribit Mathesilanus *d. singular. 5. Bar. Socin. d. cons. 131.* & quamplurimi alii, quos citat Didacus Covarruvias *lib. 2. var. resolut. c. 2. n. 6. & 7.* Et prædicta locũ habent non solum in ære alieno, & debitis necessariis verũ etiã in legatis gratuitò & voluntariè à testatore relictis *Alexand. & alii in d. l. fin.* Nam usufructuarius, etiam omniũ bonorũ, non obstingitur legatis á testatore relictis *Didac. Cov. loc. cit.* Quod Philipp⁹ Corneus adeo extendit *d. cons. 195, lib. 4.* ut hæres ejusmodi legata solvere teneatur ex sua ꝓpria substantia, & absq; diminutione usufruct⁹. Sed ut hoc verũ in usu fructu certarũ rerũ, vel bonorũ mobiliũ & immobiliũ secundũ ea, quæ nũc dixim⁹ ita aliud

21
22

&

& contra Cornei sententiam dicendum in usufructu omnium bonorum, vel partis bono-
23 rum simpliciter relicto. Nã † hoc casu tametsi usufructuarius ipse solvere non teneatur, nec à creditoribus conveniri posit; hæres tamen ex rebus hæreditariis dat creditoribus in solutum pro rata debiti, si consentiant creditores, vel vendit & depretio illis satis facit, sic ut ususfructus & proprietas minuatur, & uterq; damnum sustineat: quia rerum venditarum proprietatem hæres usumfructum verò fructuarius amittit *Alexan.&alii in d. l. fin.* Et proinde licet hæres non posit retinere bona propter æs alienum, non tamen prohibetur ex illis creditoribus satisfacere *Barthol.Socin. d cons.131.* secundum formam traditam in constitutione Justiniani *in d. l. fin. §. fin. autem 4. C. de bonis quæ liber.* ut videlicet ex rebus hæreditariis primùm quidem mobilib⁹, deinde immobilibus minus utilib⁹ æs alienum & legata sol-
24 vantur. Nam † cum substantia aut bona non intelligantur, nisi quæ detracto ære alieno supersunt *l. subsignatum 39. §. bona 1. ff. de verbor. signif. d. §. fin autem 4.* rectè hæres Institutus dato legatario usufructu omnium bonorum, priusquã tradat bona legatario, poterit ex illis solvere debita testatoris. vendẽdo bona, quæ ad
25 eorum solutionem videntur sufficere reliqua tradendo usufructuario accepta † cautione de solven-

solvendis reliquis debitis, si quæ postea emergãt, vel si cautio fuerit prætermissa, & alia debita postea emergant, potest hæres petere ab usufructuario bona ad eorũ solutionem sufficientia *d. l. usufructu bonorum 69. ff. ad l. Falcid. Alex. in d. l. fin. Paul. Castr. cons. 394. lib. 2. Dec. cons. 485. cum multis aliis adductis per Didac. Covarru. loco pracitato.*

Sed limitantur prædicta, primò non procedere, Si † ex conjecturis aut verbis testatoris contraria voluntas appareat: puta quod ab usufructuario vel hærede ipso, æ alienum aut legata præstari voluerit: nam ẽs voluntas exactè servanda est *dec. cons. 536. Carol. Ruin. cons. 41. lib. 2.* Secudò † limitantur non procedere, ubi onus æris alieni vel legati est indictum ipsis rebus, vel personæ usufructuarii: ut sunt onera tributorum, aut aliarum pensirationum, quæ Reipublicæ penduntur: nam hæc onera fructuarius subire tenetur. Tertiò † non procedunt, si certa res legata fuerit uni; & alteri omnium bonorum usus fructus: nam hoc casu res illa certa ut cumulum bonorum, ita & usumfructum diminuit *l. Sempronio 33. in pr. ff. de usufr. legat.* sic ut omnium bonorum fructuarius non habeat usumfructum, aut partem usus fructus in re specialiter alteri legata. Nam generi per speciem derogatur: eaq; est communis & verior sententia, licet pleriq;

pleriq; conentur contrarium aſſerere, ut re-
29 fert Didacus Covarruvias *loco præcitato.* Quartò † non procedunt in legato, quod eſt annuum: nam ejus ſolutio ad uſufructuarium pertinet *d. l. fin. §. ſin. autem 4. & ibi Bald. Salicet. & alii* quoniam, quando quid annuum relinquitur, vel promittitur, videtur reſpectus haberi ad omnes fructus & reditus, ſecundum Juſtiniani conſtitutionem *d. § ſin. autem 4.* in qua licet generalis quæſtio proponatur de omnibus debitis: deciſio tamen conſiſtit duntaxat in debitis ſeu legatis annalibus: puta ſi vel reditus vel annua penſis relinquatur, & ita ab omnibus ea conſtitutio intelligitur. Meminiſ-
30 ſe autem † oportet dictam conſtitutionem ita procedere, ſi legata annua poſsint ſolvi ex ipſis fructibus, quos uſufructuarius recipit, abſq; notabili diminutione uſusfructus alioquin locus non erit dictæ conſtitutioni, nec onus hoc incumbet uſufructuario. *D d. in d. §. ſin autem 4. Covarri loco citato.* Et quemadmodum in annuis legatis uſufructuario nimium gravato ſuccurritur: ita quoq; in aliis legatis ſemel præſtandis hoc temperamentum ſervatur, ut quamvis æs alienum ex rebus hæreditariis integrè perſolvi debeat: quia potiùs eſt legatarios non locrari, quàm creditores
31 damno affici: in † legatis tamen ſolvendis

provi-

providendum est, ne major diminutio fiat ex 31
legato usufructus, quàm ex reliquis legatis,
sic ut usufructuarius non min⁹ retineat, quàm
alii legatarii *Dd. in d. l. fin. & Dec. cons. 590.* Nam
æstimatione bonorum facta, quo ad proprietatem & usumfructum: item & separatim ipsius usufructus, reliquorumq; legatorum
omnia legam ex æquo diminutionem patientur, ut copiosius exponit Didacus Covarruvias
loco pracit: Et æstimatio † usufructus consti- 32
tuenda erit ad modum à Jurisconsulto traditum *in l. hæreditatem 68. ff. ad l. Falcid.* Quinto † 33
usufructuarius ad æris alieni solutionem tenetur; si fuerit relictus usufructus hæreditatis *Carol. Ruin. cons. 41. lib. 2.* vel si testator usumfructum omnium bonorum reliquerit,
& post mortem ejus alium hæredem instituerit *Socin. d. cons. 133.* de qua re latiùs videri
potest Didacus Covarruvias *loc. citat.*

Illud quoq; meminisse oportet † quòd, 34
quæ de administratione & cura usufructuarii
diximus, etiam procedant in patrono seu domino feudi, sive ad collectioné fructuum, sive
ad conversationem rei ipsius respiciam⁹ Nam
tenetur patronus de dolo & omni culpa, etiam levissima, sicut fructuarius *l. 1. in fin. verb. omnem rei curam cum l. seq. ff. quemad. usufr. cave*

l.in l.Aquilia 44. ff. ad l. Aquil. Carol. Molin. de feud. §.1.gloss. 8. n.46. cum seq. Idem est in hærede gravato per fideicommissum *l. Mulier 22. §. sed e-*
35 *nim 3. ff. ad Trebellian.* Secus † est in bonæ fidei possessore hæreditatis, is enim, si hujusmodi curam & sumptus prætermiserit, quærelæ non est obnoxius: quoniam permittitur ei quasi rem suam negligere *l. si quid possessor 31. §. sicut 3. ff. de Petit. hæred.* Unde si prædia urbana vel rustica negligentia sua pejora facta sint; veluti si vineæ, pomaria, vel horti, extra consuetudinem patris-familiâs exculti non sint, non tenetur hujusmodi possessor ad æstimationem deteriorationis *l. & qui 54. §. fin. ff. de Petit. hæred.* Idemq; est in creditore pignoris prætorii, qui ex causa damni infecti missus est in possesionem domus ruinosæ vicini *l. si fini-*
36 *ta 15. §. si quis damni 30. ff. de damn. infect.* Illud † quoq: prædictis adjiciendum est circa collectionem fructuum, quod usufructuarius tempus messis prævenire non debet, quia non abuti, sed uti debet rebus secundum earum conditionem *l. sed si quid 15. §. mancipiorum 1. ff. de usufr.* Et proinde accelerata collectio non debet prodesse usufructuario, nec nocere proprietario, sed habetur pro non facta ad hoc, ut fructus ac si essent pendentes cedant proprietario: nam fructuarius qui immatu-

ros

tos fructus percepit, tenetur ad restitutionem cum interesse quantitatis & valoris, ad quem verisimiliter ascendissent fructus, si nondum fuissent collecti, aut quantum verisimiliter proprietarius fuisset consecuturus ex fructibus asservatis, & debito tempore collectis. Idemq; † servatur in patrono prævenientе vasallum, & secante fructus immaturos. Idem: si hæres ante aditam hæreditatem decerpserit fructus in fraudem ejus, cui legatus est ususfructus. Idem: in gravato per fideicommissum in diem certam vel incertam. Idem: in hæredibus sacerdotum secantibus fructus immaturos, in fraudem successoris *Carol. Molin. de feud. §. 1. gloss. 8. n. 28. & seq.* 37

Procedunt prædicta, nisi constiterit & duraverit jus usufructuarii, vel alterius secantis immaturum fructum, usq; ad tempus maturitatis: quia tunc anticipando collectionem fructuum, nullum præjudicium facit proprietario, vel alteri, cui restitutio facienda est, quia is æquè perditurus erat fructus, sic ut usufructuarius hoc casu sibi potius, quàm alteri injuriam faciat *l. Legis Aquiliæ 54. in fin. ff. ad l. Aquil.* Idem: in hærede gravato per fideicommissum, & alio simili. Et hoc modo † Carolus Molinæus *loco citato* post Jacobum Ravennatem, Albericum, Lanceluttum & 38

 Decium

Decium exaudiendum putat Pauli Juriſconſulti reſponſum *in l. ſi abſente 48. in fin. ff. de uſuf.* in quo ſylva cædua, item olea & fœnum, licet immaturè cæſum, in fructu computantur ea ratione (ut illi putant) quia durat poſtea uſusfructus uſq; ad incluſionem temporis, quo dicti fructus fuiſſent maturi. Verùm hæc declaratio, quia habet ſubauditionem, quam textus non videtur admittere, potius eſt, ut reſponſum illud generaliter accipiamus, maximè, quia ſimpliciter loquitur, nullaq; limitatione vel adjectione reſtrictum eſt: Et præterea, quia Juriſconſultus exempla ponit in ſylva cædua, in olea, & fœno, quæ immatura tantùm aut plus reditus habent, quàm ſi matura legerentur *l. penult. ff. de uſufr. legat.* & proinde non eſt attendenda naturalis maturitas, ſed id tempus, quo magis expedit fructum colligere ad uſum & commoditatem hominum *d. l. penult.* Poteſt itaq; fructuarius oleam, & fœnum, licet immaturum, aliaq; ſimilia colligere, & ſua facere. Idem in patrono feudi, ingravato per fideicommiſſum, in creditore, cui res in antichreſin data eſt & aliis ſimilibus. Cæterum ſciendum eſt, id quod à Juriſconſulto reſponſum eſt *in d. l. penult.* de tempore, quo magis domino colonove expedit fructum tolle-

tollere, referri debere non ad singulare interesse personæ coloni vel domini, sed generaliter ad interesse commune cujuslibet boni patrisfamiliâs, ut sic Jurisconsultus se referat ad id, quod communiter cuilibet colono vel domino expedit, perpensa communi & non singulorum utilitate *l. pretia rerum 63. ff. ad l. Falcid.* Deniq; non est † subticendum circa id, quod superius dictum est, de confiscationibus & ædibus, ex secundo decreto possessis fructuario acquirendis, ita ut nec finito usufructu restituantur *l. usufructu legato 7. §. 1. ff. de usufr.* hoc temperamentum adhiberi deberi, ut procedant illa omnia in domo vel alia re, quæ non erat pars ususfructus, sed separata, quæq; committitur ex causa extrinseca, & non virtute directi dominii, aut contemplatione proprietarii, ut declarat Carolus Molinæus *de feud. §. 1. gloss. 1. n. 40.* Nam quæ virtute directi dominii ac per consolidationem acquiruntur ex causa intrinseca, finito usufructu proprietario restituuntur. 39



Quid iuris retineat proprietarius in re, cuius alter habet usumfructum.

Cap. XVI.

SVMMARIA.

1. *Dominus proprietatis de re, cuius usufructus est relictus, pro arbitrio disponere potest.*
2. *Fallit, si fiat in fructuarii praeiudicium.*
3. *Servitutem, etiam consentiente fructuario, rei imponere nequit.*
4. *Manumittens servum, cuius alienus est usufructus, facit quidem liberum, attamen absque fructuarii fraude.*
5. *Filius patri, qui iuxta consuetudinem in eius bonis usumfructum habet, ea alienando praeiudicare non potest.*
6. *Proprietarius servum usufructuarium noxae dedere potest.*
7. *Fructu praediorum ad alimenta libertis relicto, decedentium partes proprietario, & non fructuario accrescunt: & quare.*
8. *Binas aedes habens, si alterum usumfructum leget, heres alterius altius tollendo, luminibus officere potest.*
9. *Fundi aut domus usufructu legato, regulariter instrumenta quoque continentur.*
10. *Servus, cuius usufructus est alienus, si proprietario stipuletur, vel ex re ipsius acquirat, illius erit: & contra.*

Si-

SIcuti usufructuarius debet uti frui, ita & proprietatis dominus securus esse debet de proprietate *l. si cujus rei 13. cum seq. ff. de usufr.* Et † quamvis alienus sit usus fructus, nihilominus dominus proprietatis de re ipsa potest 1
disponere pro arbitrio. Unde & vendere & obligare potest proprietatem *l. verbis testamenti 2. C. eod.* & alteri usumfructum legare *l. si dominus nudæ proprietatis 72. ff. de usufr.* dummodo † 2
per hoc non inferatur fructuario præjudicium. Potest quoq; proprietarius servitutem imponere, & debitam servitutem relaxare, seu vicinorum prædia servitute liberare *l. 2. ff. si usufruct. pet.* quod tamen est intelligendum, priusquam usus fructus constituatur, id est, antequam hæres adierit, & adita hæreditate usumfructum constituerit, secundùm Pomponii sententiam *in d. l. 2.* alioqui † verò nec 3
servitutem imponere fundo potest proprietarius, nec impositam remittere *l. sed si 15. §. sed nec servitutem 7. ff. de usufr.* ut declarat Joannes Corasius *in l. servitutes 2. n. 12. ff. de servitut.* Quod præcedit, etiamsi usufructuarius in servitutem constituendam vel remittendam consentiat; nam cùm servitus prædii libertatem & fructum diminuat, fieri non potest, ut fructus in constituta servitute, vel alteri remissa pristinum statum retineat *d. §. sed nec*

servitutem 7. planè acquirere servitutem, etiam invito fructuario, potest proprietarius *d. §, sed nec servitutem 7.* Et † si quis proprietatem
4 servi habeat, cujus alienus est ususfructus, Ulpianus ait, à proprietatis domino manumissum liberum non fieri, Justinianus libertum fieri proprietarii, sed sine fraude usufructuarii, qui eo tanquam servo, ut ante, utetur *l. 1. C. commun. de manumiss.* nisi consentiente usufructuario manumissio procedat *l. 2. ff.*
5 *de manum. vindict.* Et hoc † modo filius alienando bona sua, quorum ususfructus de jure vel consuetudine, ad patrem pertinet, patri in usufructu non præjudicat *argumento l. generaliter 29. ff. qui & à quib. man. &c.*
6 Potest † quoq; proprietatis dominus servum noxæ dedere, si hoc sine dolo malo faciat, quoniam noxæ deditio non perimit usumfructum, licet usufructuarium, si uti velit, ad litis æstimationem obstringat *l. si ex duobus 17. §. si plures 1. l. si in re communi 19, §. si servi 1,*
7 *ff. de noxal. act.* Item † per fideicommissum fructu prædiorum relicto libertis ad alimenta, partium emolumentum ex persona decedentium ad dominum proprietatis recurrit *l. dominus 57. in fin. ff. de usufr.* quoniam verba illa, Ad alimenta taxationem continent, & jus accrescendi impediunt. Item potest proprie-

prietarius, etiam absente usufructuario, negotium illius gerendo reficere, & actione negotiorum gestorum impensam recuperare *l. si absente 48. ff. eod.* Et † si is, qui binas ædes habebat, aliarum usumfructum legaverit, potest heres, alteras altius tollendo, obscurare lumina: quoniam habitari potest etiam obscuratis ædibus *l. si is qui binas 30. ff. d. t.* quod ita temperandum est, ut non in totum obscurentur ædes, sed modicum lumen, quod habitantibus sufficit, habeant. Præterea † 9
quamvis dominus impedire non possit uti frui, potest tamen usufructuarium fundi prohibere, ne doliis defossis, item cereis, cuppis, & cadis utatur, si de voluntate testatoris appareat, alioqui legato usufructu fundi, aut domus, etiam instrumenta continebuntur *d. l. sed si 15. §. proprietatis 6. cum seq.* Rursus † si ser- 10
vus, cujus ususfructus est constitutus, contemplatione proprietarii stipuletur, vel ex re illius solverit, illi acquirit *d. l. sed etsi 25. in pr.* Et generaliter, quod fructuario acquiri non potest, id proprietario acquiritur *d. l. sed etsi 25. §. quæstionis 3.* ut de stipulatione & solutione nunc dictum est. Idemq; obtinet in injuria servo illata *l. apud Labeonem 15. §. si usumfructum 47. ff. de injur.* Idem est in omnibus, quæ personæ domini cohærent *Alciat. conf. 493. & Carol. Molin. de feud. §. 37. gl. 4.*

 Quo-

Quomodo usufructuarius caveat.

Cap. XVII.

SVMMARIA.

1. *Fructuarius cavere tenetur, nulla habita distinctione ex qua causa, & qualium rerum usufructus ei sit relictus.*
2. *Cautio quid continere debeat.*
3. *Ante cautionem actionem non habet: Sed & res ab eo vindicari potest.*
4. *Imo nec fructus facit suos, & usura computantur in sortem.*
5. *Cautio quomodo petatur.*
6. *Eam testator prohibere non potest.*
7. *Quod si non exigatur, fructuarius eam praestare non cogitur.*
8. *Pater, aut fiscus in usufructu sibi de iure aut consuetudine debito, non satisdat.*
9. *Non exigitur cautio, si proprietas ex die, usufructus vero pure relinquatur.*
10. *Vel si per viam contractus remissio sit facta.*
11. *Sicut, si sint res, quae usu consumuntur.*
12. *Qualis haec cautio esse debeat, & quomodo sit exponenda.*
13. *L. si vini 7. ff. de usufr. ear. rer. quae usu consum. & §. constituitur 2. inst. de usufr. invicem declarantur.*
14. *Usufructuario propter paupertatem cavere non valente, quid faciendum.*

Usu-

VSufructu † constituto consequens est, ut satisdatio boni viri arbitratu præstetur ab eo, ad quem commodum pervenit, quod nullam læsionem ex usu proprietati adferet *l. 1. ff. quemad. usuf. cave. d. l. si cujus rei 13. cum l. seq. ff. de usufruct.* nec interest sive ex testamento, sive ex fideicommisso, sive ex legato, sive mortis causa donatione, sive ex voluntario contractu ususfructus constitutus sit *d. l. 1. §. illud sciendum 2. d. l. si cujus 13. & l. 4. C. de usufr.* non refert an ipso jure, an per tuitionem prætoris ususfructus competat *l. si ususfructus 9. §. 1. ff. quemad. usufr. cave.* item an sit certarum rerum, an omnium bonorum ususfructus *Bened. Capra cons. 25. n. 6. & Socin. Nepos consil. 99. lib. 1.* Et deniq; an res sint soli & immobiles, an verò mobiles *d. l. 1. §. 1.* debetq; † hæc cautio continere res certas, & in ea sunt describenda corpora rerum, quæ scilicet, & quales fuerint *d. l. 1. §. rectè autem 4.* Et adeò † necessaria est hæc cautio, ut non prius danda sit actio usufructuario, quàm si satisdederit *d. l. 1. d. l. si cuius 13. cum l. seq. ff. & l. 2. & 4. C. de usufr.* Et si ususfructus nomine, re tradita, non caveatur, Proculus ait, posse hæredem rem vindicare, & si objiciatur exceptio de re ususfructus nomine tradita, replicanda est de cautione non præstita *l. etsi ususfructus 7. ff. quemad. usufr. cave.* tan-

4 taq; est † necessitas hujus cautionis, ut ante præstitam cautionem usufructuarius non faciat fructus suos, & usuræ in sortem imputentur; postea verò fructuum loco cedant *l. uxori*
5 *24. ff. de usufr. legat.* Præterea † potest heres bona retinere, donec cautio præstetur, quia satisdatio seu cautio petitur dupliciter: Primò officio judicis *d. l. si cujus rei 13.* Secundò jure repulsionis, exceptionis & retentionis
6 *l. 1. C. eod. Bened. Capra consil. 139.* Procedunt † prædicta, etiamsi testator cautionem remiserit *d. l. 1. C. eod.* aut prohibuerit molestare usufructuarium etiam sub pœna *Dd. in d. l. 1. C. eod. Socin. Nepos cons. 115. lib. 1. Barthol. Socin. cons. 131.* quoniam hæc cautio pro forma usufructus est necessaria, vel quia promissio illius induceret occasionem delinquendi, ideóq; remitti non potest *gloss. & Dd. in l. 1. C. de usufr.*

7 Cæterum limitantur prædicta † quæ de necessitate cavendi dicta sunt, tunc procedere, si cautio petatur. Nam quamvis interpretes disputent, distinguantq variè; verius tamen est eam non deberi, si non petatur *Salycet. in d. l. 4. C. de usufr. Bened. Capra cons. 154.* Et proinde si heres tradat usumfructum, vel scienter patiatur, usufructuarium uti frui non exacta cautione, usufructuarius fru-

fructus suos faciet *Dec. cons. 617. Barthol. Socin. d. cons. 131. & Socin. Nepos cons. 72. part. 2.* Secundò limitantur non procedere † in usufructu 8
de jure vel consuetudine patri *l. cum oportet 6. C. de bon. quæ liber.* aut fisco debito *l. 1. §. si ad fiscum 18. ff. ut legat. nom. &c.* Tertiò † cum 9
usufructus purè, & proprietas ex die, vel ad diem: item si proprietas relinquatur cum finietur usufructus: quoniam his casibus magis proprietas, quàm usufructus legatur. Quartò † si remissio cautionis usufru- 10
ctus sit facta per viam contractus *Guil. de Cuneo, Rapha. Cuman. & Salyc. in d. l. 1. C. de usufruct. Alciat. cons. 486. n. 10.* Deniq; † si agatur 11
de rebus, quæ usu consumuntur: nam hîc cessat favor publicus, nec invitantur homines ad delinquendum, cùm usus istarum rerum consistat in abusu. Cæterum meminisse oportet, quamvis his casibus remittatur cautio, necesse tamen esse aliquam descriptioné bonorum fieri: nam hæc remissio relaxat tantùm scrupulosam descriptionem secundùm solennitatem, non etiam secundũ veritatem *argt. l. fin. C. de jure delib.* Illud † quoq; hîc quæ- 12
ritur, qualis hæc cautio esse debeat, & quomodo exponenda sit. Et quamvis simpliciter constitui posit, utilius tamen est stipulatione de hoc cavere, ut si quis nõ boni viri arbitratu

uta-

utatur, committatur stipulatio statim, nec expectandum sit, donec amittatur ususfructus *d. l. 1. §. utilius 5. ff. quemad. usufr. cave.* quod fieret, si simpliciter cavetur: habet autem stipulatio ista duas causas; Unam, si aliter quis utatur, quàm vir bonus arbitrabitur: Alteram, de usufructu, seu eo quod extabit, restituendo: quarum prior statim committitur quàm aliter fuerit usus, & sæpius committitur; sequens committitur finito usufructu quomodocunq; *d. l. 1. §. habet autem 6.* Et quod dicitur restitui quod inde extabit, non eo pertinet, quod quis stipuletur rem sibi dari: nam hoc inutiliter fieret, sed finito usufructu restitutum iri, quod inde extabit, quod plerunq; refertur ad ipsam proprietatis æstimationem, si fortè, cum posset, usufructuarius usucapionem interpellare neglexerit: omnem enim rei curam sustinet, tenetúrq; facienda non omittere & non facienda omittere *l. 1. in fin. cum l. seq. & ibi gloss. ff. quemad. usufr. cave.*

13 Sed procedunt prædicta † in iis rebus, quarum verus est ususfructus; secus est in iis, quæ usu consumuntur: nam in iis non exponitur cautio de utendo boni viri arbitratu, sed vel de reddendis rebus ejusdem qualitatis, vel de certa pecunia reddenda, qua res illæ fuerunt æstimatæ, pro ut elegerit fructuarius: quamvis,

vis, pro evitatione litium commodiùs sit de certa pecunia cavere, ut Cajus tradit *in l. si vini. 7. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.* Ex cujus responso declarari & suppleri debet Justinianus *in §. constituitur 2. inst. de usufr.* dum solius æstimationis meminit, sic ut electio fructuario competat, quæ neq; ex consilio Jurisconsulti, dum inquit *in d. l. si vini. 7.* commodiùs esse de certa pecunia cavore, neq; ex sola æstimationis commemoratione à Justiniano facta *in d. §. constituitur 2.* sublata est. Plus concedit Alciatus *lib. 7. Parerg.* ut fructuarius; qui principio caverat, se æstimationem redditurum, nihilominus, usufructu expleto, possit res ejusdem qualitatis reddere, si fortè hoc illi magis expediat: quod admittendum non videtur propter variationem, quæ in jure est prohibita. Item: si velit easdem res restituere quas accepit, quia illis casu non est usus nihiloq; sint deteriores. Postremò sciendum est, hanc cautionem, datis fideijussoribus vel pignoribus, constituendam esse, quia Jurisconsulti satisdationis meminère: quod est intelligendum, nisi † usufructuarius tam pau- 14
per sit, ut cautionem invenire nequeat: nam hoc casu, si sit probus, frugi & diligens, sine satisdatione, simplici promissioni illius, cum juramento stabitur, alioquin verò vel seque-

stratio

ſtratio erit neceſſaria, vel certa portio fructuario quotannis eroganda *gloſ. Dd. & præcipuè Salyc. in d. l. 4. C. de uſufr.*

Quibus modis uſusfructus amittatur. Cap. XVIII.

SVMMARIA.

1. *Vſusfructus finitur morte.*
2. *Etſi reſtitutioni ſubiaceat fideicommiſſarii, & non uſufructuarii, mors attendenda erit.*
3. *Seruo, vel filio relictus, in dubio cum ultimo ſuperſtite interit.*
4. *Non finitur morte ciuili, quam inducit ingreſſus religionis.*
5. *Ciuitati relictus durat centum annis: niſi antea aratrum patiatur.*
6. *Extinguitur peremptione, vel mutatione rei, in tantum, ut nec, ſi ad priſtinam formam res redierit, debeatur.*
7. *Fallit, in uſufructu omnium bonorum.*
8. *Item in uſufructu fundi: non etiam inſula.*
9. *Perit quoq; inundatione, ſi ſit perpetua: item hoſtium occupatione.*
10. *Capitis diminutione maxima & media.*
11. *Non utendo, per tempus a lege definitum: Et quale illud ſit.*
12. *Per conſolidationem, adeo ut licet id, per quod ea inducta eſt, reſoluatur, non tamen reuiuiſcat: & quare.*
13. *Si extraneo ius uſusfructus, non commoditas cedatur.*
14. *Amittitur quoq; per abuſum.*

Ne

NE proprietas in utilis esset, semper abscedente usufructu constitutū est, certis modis usumfructum finiri, & ad proprietatem reverti *l 3. §. ne tamen 2. ff. de usufr. §. finitur 3. inst. eod.* Et † primò morte finiri usumfructum non recipit dubitationem *l. 3. in fin. ff. quib. mod. usufr. amit.* Unde † quæsitum est, si 1
legatum usumfructum legatarius gravatus sit alteri restituere, cujus personam intueamur in petimendo usufructu? Et receptum est, magis inspici personam fideicommissarii, quàm legatarii *l. si legatum 4. ff. quib. mod. usufr. amit.* Et † si servo vel filio-familiâs usufructus relictus sit, & dubitetur cujus contemplatione patris scilicet, an filii, durat in utriusq; persona, ita ut non nisi morte ultimi superstitis finiatur, secundùm Justiniani constitutionem *in l. fin. C. de usufruct.* quam emendat Antonius Augustinus *Emendat. lib. 4. c. 8.* Procedunt † prædicta in morte naturali: secus in morte civili, quàm inducit ingressus religionis, dummodo talis religio admittat possesionem in communi: nam tunc commoditas us⁹fruct⁹ transit ad monasteriū, & consistit tandiu, quandiu durat vita ingredientis *Bart. Socin. con. 10. l. 1.* Planè † civitati relictus us⁹fruct⁹ durat centū annis: quia is est vitæ longævi hominis finis *l. an usufr. 56. in fin. ff. de usuf.*

l. fi

l. si usufructus mancipibus 8. ff. de usufr. legat. nisi antea aratrum patiatur civitas *l. si usufructus civi-*
6 *tati 21. ff. quib. mod. usufr. amit.* Deinde † extinguitur usufructus rei peremtione vel mutatione; veluti si ædes, quarum usufructus legatus est, corruerint vel exustæ sint *l. repeti. 5. § rei mutatione 2. & l. quid tamen 10. §. 1. ff eod. l. qui usumfructum 36. ff. de usufr.* Et collapsis ædibus usque adeo extinguitur usufructus, ut nec in area remaneat: quia rei species mutatæ est *juri-*
7 *bus supra citatis.* Quod † procedit in usufructu certarum rerum: secus in usufructu bonorum omnium, quoniam, qui bonorum usumfructum legat, non solum eorum, quæ in specie sunt, sed etiam substantiæ omnis usumfructum legare videtur: In substantia autem bonorum area est *l. quoties 34. §. universo-*
8 *rum 2. ff. de usufr.* Idem est † in usufructu fundi legato: nam usufructus non extinguitur etiam villa diruta, quia villa est fundi accessio *l. fundi 8. cum seq. & l. quid tamen 10. ff. quib. mod. usufr. amit.* Idem: si areæ usufructu legato domus sit diruta, quia area eandem naturam retinet *d. l. qui usumfructum 36.* Sed non idem juris est, si insulæ usufructu legato, area deinde insula facta, vel scyphi in massum redacti, postea iterum scyphi facti: quia forma mutatur, & pristina licet qualitas scyphorum restituta

tuta sit, non tamen illi iidem sunt, quorum usus fructus legatus est *d. l. quid tamen 10. §. in navis 7.* Et prædicta procedunt in usufructu: secus in proprietate vel pignore relicto *l. si chorus 79. §. pen. ff. de legat. 3. l. domo 21. ff. de pignor. act. & gloss. in d. l. qui usumfructum 36.* Et quod de domo diruta vel exusta dicitur, idem servatur si ædes aliter diminutæ, & de novo extructæ fuerint *d. l. quid tamen 10. §. non tantum 1.* Idem est in ornamentorum & vasorum dissolutione, vel transfiguratione: Idem in sylva ad sationem redacta, & similibus *d. l. quid tamen 10. §. non tamen 4.* Similiq; modo inundatione † usus fructus amittitur, si aqua non recedat: nam si eodem impetu, quo venit, recedat, & proprietas & usus fructus restituitur *l. si ager 23. cum seq. ff. Quemad. usufr. amit.* nisi alueo mutato flumen inde manare incipiat *l. cum usumfructum 24. ff. eod.* Et quod de inundatione constitutum est, servatur in occupatione hostium *l. si ager ab hostibus 26. ff. eod.* 9

Tertiò † amittitur usus fructus capitis diminutione: quod est intelligendum de usufructu jam constituto & de maxima & media capitis diminutione *l. 1. §. sed ita demum 1. ff. d. tit. l. corruptionem 16. C. de usufr.* Et præterea cessat effectus capitis diminutionis in usufructu 10

L repe-

repetito. *l. sicut in annos 3. & l. repeti 5. ff. quib. mod. usufr. amit. l. licet 23. ff. de usufr. legat.* Quartò † amittitur usus fructus non utendo, nisi per alium retineatur *l. si mulieri 22. l. Pomponius 29. ff. quib. mod. ususfructus amit.* Sed non est prætermittendum hodie secundum Justiniani constitutionem usumfructum per non usum non finiri, aut perimi, nisi longi temporis possessio interveniat, quæ ad proprietatis præscriptionem posset sufficere *d. l. corruptionem 16.* Quintò † extinguitur usus fructus per consolidationem puta si proprietario cedatur, vel contra usufructuarius acquirat proprietatem *d. §. finitur 3. & l. si tibi 17. ff. quib. mod. ususfr. amit.* nisi alterius annis legato usufructu, plura legato considerentur *l. si ususfructus alternis annis 28. ff. eod.* Et tàm favorabilis est hæc consolidatio ut ususfructus per eam semel extinctus non resuscitetur, etiamsi acquisitio, vel id, per quod consolidatio inducta est resolvatur *d. l. si tibi 17.* Quod Carolus Molinæus *de feud §. 13. gloss. 5. n. 33.* ideo fieri existimat, quia recisio hæc non fingit retro, nec trahitur ad præteritum: sed non addit Molinæus rationem, quare recisio hoc casu non referatur ad præteritum, ut in aliis; quod inde fieri arbitror, quod acquisitio proprietatis, per usumfructum facta, non sit immediata causa, sed tantum occasio inducen-

ducendæ consolitationis, quæ vires suas capit ex potestate directi dominii, & vi attrectiva, quam habet directum dominium. Sextò † si cedatur ususfructus extraneo *l. si usufructus* 13
bo. ff. de iur. dot. quod est intelligendum si jus ususfructus cedatur, secus si cedatur usussfructus simpliciter, quia tunc intelligitur largo modo pro commoditate: ut singulariter respondit Baldus *cons. 335. Quædam mulier in pr. lib. 1.* Deniq; † amittitur ususfructus per abusum, etiamsi vel avo vel patri competat: quia usu- 14
fructuarius, qui malè versatur, nec utitur boni viri arbitratu, non debet percipere obventiones, nec fructus, sed potest prohiberi uti frui *l. item si fundi 9. in pr. ff. de usufr. l. Hoc amplius 9. §. fin. ff. de damn. infect. Angel. Castr. Jas. in Auth. qui rem C. de Sacros. eccles.* Novissimè inter has causas hoc interest, quod morte vel capitis diminutione totus ususfructus semper depereat: ex reliquis causis partis diminutio admittitur *l. excepta 14. ff. quib. mod. ususfr. amit.*

De operis & ministerio servorum: item de usu & habitatione, & in quibus hæc ab usufructu, & inter se.

Cap. XIX.

SVMMARIA.

1. Operarum definitio & divisio.
2. Officiales locari non possunt, artificiales possunt.
3. Non annumerantur servitutibus, sed obligationi personali.
4. Opera servi, deductis necessariis impensis, arbitratu boni viri restituenda, nec affectionis æstimatio habenda.
5. Quomodo affectio hîc accipienda, ubi simul l. fin. ff. de operis servorum, explicatur.
6. Vsusfructus ab operarum legato differt: quod hæ in facto, ille in iure consistat.
7. Secundò, quod non debeantur operæ nisi petantur: secus in usufructu.
8. Tertiò, quod capitis diminutione, aut non utendo non pereant, nec quoq morte eius, cui relictæ sunt, aliter atq; in usufructu.
9. Quartò, quod dividi nequeant, cum contra usufructus possit.
10. Vsus iisdem, quibus usufructus, modis, excepto, quod pro parte non possit, constituitur.
11. Duobus constitui potest.
12. Servitutes, ius patronatus, & iurisdictio, licet per se sint individua, commoditas tamen eorum dividi potest.
13. Vsus iisdem, quibus usufructus finitur, modis.
14. Vsuarius minus iuris, quàm si uctuarius habet.
15. Ius suum alii vendere, locare, aut gratis concedere non potest.
16. Vsu nemoris relicto, proprietarius potest, quantum ad usum sufficit, assignare usuario, & reliquum sibi servare.
17. Aliud in domo & ædibus servatur.
18. Vsuarius cum uxore, etiam futura, & liberis, domum, cuius habet usum, inhabitare potest.

19. Ho-

OPeræ † sunt diurnum officium *l. 1. & 3. ff. de oper. libert.* nam in singulos dies debentur *l. si peculium 20. §. quædam 5. ff. de stat. liber.* Et operæ aliquæ sunt officiales, quæ in officii præstatione consistunt, quæq; à libertis obsequii ratione præstantur: aliæ, quæ in artificio consistunt, artificiales vocantur: veluti fabriles, pictoriæ *l. operæ 9. l. ut jurisjurandi 7. l. cum patronus 22. ff. de oper. libert.* a qua lubrica operarum diversitate est cavendum. Nam † officiales operæ delegari, aut aliter in alium transferri non possunt, ne cum officii præstatione, quæ ministerio personæ accommodatur, circumscribi debeant, nomen operarum officialium naturamq; suam amittant *l. si non sortem 26. §. libertus 12. ff. de condict. indeb.* Fabriles verò & artificiales & locari & delegari possunt, quoniam recipiunt æstimationem, & vice pecuniæ creditori à liberto ex iussu patroni exolvuntur *Zas. sing. respons. c. 3.*

1 (margin, line 1) 2 (margin, "Nam †")

3 *D.d. in d. l. si non sortem 26. §. libertus 12.* Operas † autem non servitutibus, sed personali obligationi connumerandas esse rectè tradidit
4 Corasius *in rubr. ff. de servitut.* Et †, quoties de operis servi restituendis agitur, deductis impensis necessariis, modum & arbitrium boni viri attendimus: & si ejus ætatis vel valetudinis fuit servus, cujus nullæ operæ apud domi-
1 num esse poterant, nulla fiet æstimatio *l. fin. ff. de oper. ser.* Affectionis quoq; æstimatio non habebitur; veluti si dilexit servum dominus, vel eum in delitiis habuit *d. l. fin.* quod de ea †
5 affectione accipiendum est quæ in sola delectatione consistit: secus, si cum delectatione utilitas haberi posit, veluti in aulædo, citharædo, histrione *d. l. ut iurisiurandi 7. §. debitur 5. ff. de oper. libert* eaq; videtur esse vera Jurisconsulti sententia *in d. l fin.* Porrò † operæ legatæ
6 differunt ab usufructu. Nam operæ in actu vel facto consistunt, necante in rerũ natura sunt, quàm si is dies venit, quo præstari debent, quemadmodum si stipulamur quod ex Arethusa natum erit *l. 1. ff. de oper. serv.* ususfructus in jure consistit *l. arboribus 12. §. de illo 3. ff. de usuf.* & statim competit atq; institutus est, etiamsi
7 nulli fructus percipiantur Unde † & alia enascitur differentia, quod operæ non debeantur, nisi ex die petitionis *l. operæ 7. ff. de usufr. leg.* Ususfructus verò debetur post aditam hæredita-

ditatem, vel cùm aliter usufructus constitutus est *l. unic. § dies autem 2. ff. quand. dies ususfr. leg. ced.* Rursus † operæ servi, nec capitis diminutione, nec non utendo, nec morte ejus, cui relictæ sunt, amittuntur, adeo ut legatarius operarum legatum ad hæredem suum transmittat *l. 2. ff. de usufr. legat.* secus est in usufructu, qui omnibus his modis perimitur *gloss. in l. 2. ff. de oper. serv.* Præterea hominis liberi operæ legari possunt, sicut & locari & in stipulationem deduci *l. 3. ff. de usufr. legat.* quod secus est in usufructu, qui in homine, propter illius dignitatem, constitui non potest *l. vetus quæstio 68. ff. de usufr.* Porrò † operæ non dividuntur propter rei ipsius impossibilitatem, ususfructus verò dividitur *l. 1. §. si ususfructus 9. ff. ad l. Falcid.* Deniq; in usufructu sunt operæ, & propter operas mercedes *l. in hominis 3. ff. de oper. serv.* contra in operis hominis non est ususfructus: quoniam significatio ususfructus latiùs patet, quàm operarum: Et operis servi legatis usum intelligi Jurisconsultus respondit *in l. operis 5. ff. de oper. servor.* 8 9

Nunc de usu & habitatione videamus. Et † iisdem illis modis, quibus ususfructus constituitur, iisdem etiam nudus usus constitui solet *l. 1. ff. de usu & habit.* nisi quod usus pro parte constitui nequeat *l. usus pars 19. ff. eod.* 10

& indivisa rectè constituitur *l. usufructus ab initio 5. ff. de usufr. l. 1. §. si usufructus 9. ff. ad l. Falc.* ratio est, quia usufructus cùm omne rei emolumentum contineat, nullàq; necessitate circumscribatur, partium perceptionem admittit, quam usus refugit, quia ex necessitate illum metimur, quæ dividi non potest, cùm quicquid detrahi possit extra necessitatem sit. Nec obstat † quod duobus
11 usus constitui possit; quia hoc contingit ex occasione & necessitate magis, quàm ratione *l. Labeo 2. ff. de Rivis.* Et præterea hoc casu jus non dividitur, sed commoditas: quemadmodum servitus realis, quo ad jus non dividitur, quo ad commoditatem tamen divisionem admittit pro necessitate eorum, quibus debetur *l. via 23. §. fin. ff. de servit. rust.*
12 *præd.* Quod idem † quoq; est in jure patronatus: Idem: in Jurisdictione & similibus, quorum natura licet sit individua, quo ad commoditatem tamen dividuntur. Præte-
13 rea † quemadmodum constituitur usus, ita etiam finitur iisdem modis, quibus usufructus definit, veluti morte, mutatione, peremptione, occupatione hostium, abusu, consolidatione & aliis modis similibus. Mi-
14 nus † autem juris est in usu, quàm in usufructu *in pr. inst. de usu & habit.* nam cui usus relictus

ctus est, uti potest, frui verò non potest *l. 2. ff. eod.* Et proinde quamvis is cui fundi ususfructus relictus est, omne emolumentum rei habeat *l. usufructu legato 7. ff. de usufr.* is tamen † 15
qui usum habet, nihil ulterius habere intelligitur, quàm ut oleribus, pomis, floribus, fœno, stamentis & lignis ad usum suum quotidianum, plerunq; etiam cum convivis (si hoc dignitas personæ exigat) *l. plenum 12. §. præter habitationem 1. ff de usu & habit.* utatur, inq; eo fundo hactenus ei morari licet, ut neq; domino fundi molestus sit, neq; iis, per quos opera rustica fiunt, impedimento, nec ulli alii jus quod habet vendere, locare, aut gratis concedere potest, cùm is, qui usumfructum habet, possit hæc omnia *in pr. instit. d. tit.* Unde † infertur, usu nemoris re- 16
licto, posse proprietarium certam portionem, quæ ad quotidianum usum sufficit, usuario assignare, & reliquum suis usibus reservare: quod † in domo & ædibus fieri 17
non potest: nam prohibitum est proprietario partem domus vacantem, quæ ab usuario propter angustiam rei familiaris non habitatur, occupare *l. Divus 22. §. 1. ff. de usu & habit.* quia licet usuario pro diversitate temporum in alio atq; alio loco ædium habitare, & suppellectilem transferre *d. l. divus 22. §. 1.*

18 Item is † qui ædium uſum habet, hactenus jus habere intelligitur ut ipſe tantùm inhabitet, & vix receptum eſt ut hoſpitem recipere liceat, & cum uxore, liberiſq;, nec non aliis perſonis, quorum miniſterio utimur, habitandi jus habeat. Qua ratione convenienter receptum eſt, ut ſi ad mulierem uſus pertineat, etiam cum marito habitare poſsit, ne illi matrimonio carendum ſit, dum vult uti *l. 4. §. Mulieri 1. ff. de uſu & habit.* quod intelligitur de marito, non ſolum præſente, ſed etiam futuro *Accurſ. in §. Item is 2. inſt. eod.* Et ideo ſi viduæ legatus ſit uſus domus, etiam nuptiis poſtea contractis, cum marito habitare
19 poterit *d. l. 4. §. mulieri 1.* Deniq; † eò uſq; res perducta eſt, ut eoſdem, quos maſculi recipiunt, etiam mulieres recipere poſsint *l. non ſolum 6. ff. eod.* dummodò hoſpes à muliere recipiendus is ſit, qui honeſtè cum ea poſsit
20 habitare *l. non aliter 7. ff. d. tit.* Ex quibus † ſatis intelligitur uſum ab uſufructu diverſum eſſe: quia plus in uſufructu eſt, quàm in uſu. Nam fructui uſus ineſt, non è contrariò fructus uſui: Et uti eſt alterius gratia, frui nullius: in illo iter eſt, in hoc meta: hoc alterius finis ad quem illud tendit; qui hoc habet quieſcit & contentus eſt: qui utitur nunquam contentus eſt, ſemperq; ulterius tendit: Uſusfructus omne emolumentum rei continet, uſus can-

cellis

cellis necessitatis circumscribitur: Unde nec comoditas usus percipiendi ad aliũ transferre potest, quod in usufructu permittitur. Præterea usufructuarius etiam abuti, & ad compendium fructus potest convertere: usuarius non potest, cui solam necessitatem explere licet; ut rectè dici posit usum tanquam speciem domino & usufructui derogare *l. uxorem 41. §. felicissimo 3. in fin. ibi gloss. de legat 3. l. servis urbanis 99. in fin. eod.* Sed meminisse oportet; quod quanquam minus juris habeat usuarius, quàm usufructuarius: nonnunquam tamen plus emolumenti redeat ad usuarium, quàm ad fructuarium. Nam usuarius secundum cancellos & metam necessitatis suæ præfertur fructuario *l. si alii 42. ff. de usufr. l. fundi usu. 15. ff. de usu & habit.* Vnde † si ejusdem fundi uni ususfructus, alteri usus relinquatur, usufructuarius id solum habebit, quod usui supererit: sic ut nec concursus, nec conjunctio usum possit imminuere, cessante jure accrescendi ob id, quod ad diversa vocantur *l. hujusmodi 84. §. pen. ff. de legat. 1.* Unde † cui usus competit tantùm accipere potest ex fructibus, quantùm in annum sufficit, etiamsi hoc modo omnia forte commoda, præsertim modici præsidii consumantur *d. l. fundi usu 15. l. plenum 12. ff. eod.* Alia, quæ ad differentias usus & usufructus perti-

Est præterea habitatio personalis servitus,
23 quæ finiri potest: ut † sit jus habitandi liberè in aliena domo, ab usufructu & usu separatum *l. cum antiquitas 13. C. de usufr.* Nam si cui habitatio legata, vel alio modo constituta sit, neq; usus, neq; ususfructus est, sed quasi proprium
24 aliquod jus, in vim cujus † propter rerum utilitatem non solùm habitare ædes, sed & locare licet *d. l. cum antiquitas 13.* nō tamen gratis concedere *l. si habitatio 10. in pr. ff. de usu & habit.* Nec interest an habitatio an domus habitandi causa relicta sit *d. l. si habitatio 10. §. sed si sic 2.* acciditq; hoc legatum habitationis legato alimentorum. Unde tractant interpretes, an legato victu & vestitu, etiam habitatio debeatur? quód pulcrè discutit ac decidit Ludovicus Bologninus *consil. 48. num. 8.*

F I N I S.

